
LOGICAE
AC
METAPHYSICAE
EPITOME

AD USUM TIRONUM.





NEAPOLI MDCCLXXVII.
Ex Officina Vincentii Ursini.

Superiorum facultate.

LECTORI BENEVOLO


EDITOR.



Etus eſt doctorum Virorum querela, viam ad Scientias compendiariam paſſim muniri, & duarum vel trium plagularum libellis adoleſcentes ad univerſam eruditionem informari. Contra ſunt, qui contendunt, artes pauciſſimis praeceptis tradendas eſſe, nec perplexis ac longis ambagibus ſcientias involvendas: exercitationi ac meditationi aliquid, imo plurimum dari oportere. Quid in hac ſententiarum diſſenſione? Illud profecto optimum factu, ſi vitaveris Horatianum illud, *Nil medium eſt*. Ita ſiquidem fiet, ut nec longo atque inutili ſermone languidi diſcedant auditores, neque ex nimia brevitate implicati haereant. At enim: contra Horatianum praeceptum peccatur in hac, quae modo datur, Logicae ac Metaphyſicae Epitome. Ajo enimvero. Sed cum ſuis res finibus honeſtentur; nemo id quidem mihi vitio vertet, ſi ad propoſitum finem oculos con

conjiciat. Quid enim? Hujusmodi compendium eo consilio tironibus exhibetur, ut ea, quae fusius pertractata in Institutionibus ad usum Seminarii Neapolitani jam editis didicerunt, heic summatim descripta, atque in certos veluti ordines digesta in animo figant, retineantque. Neque enim quidquam proficiet, qui una hac Epitome contentus Philosophiae penetralia adire tentaverit. Memoriae igitur juvandae duntaxat illa destinatur: cui sane consilio si tironum labor atque industria apte respondeat, eorum utilitati satis fecisse mihi gratulabor.

LO



LOGICAE ELEMENTA.



Ogica duplex vulgo distinguitur, *naturalis* una, *artificialis* altera, sive *adquisita*. Illa est vis & sagacitas, quam a natura accepimus, ut veritatem investigemus. Haec vero ars est, quae certis quibusdam praeceptis hominis rationem regit ac juvat in veri indagatione. Eam autem, uti ceteras artes, Natura quidem inchoavit, industria vero perfecit.

Plurimum vero naturae ab arte accedit. Nam 1. doctrinae studium explicat, atque evoluta aperit ea tamquam semina, quae natura nobis indidit. 2. Sola duce natura veritatem per labores ac tentamina adsequimur; at citius, & facilius artis praeceptis. 3. Artis ope liberamur ab erroribus ac praejudiciis, quae investigandae veritatis iter intercipiunt.

Eo igitur hujusce artis praecepta respiciunt, ut homo recte cogitare, suisque cogitationibus

verum adſequi poſſit. Eam propterea *Artem cogitandi* definire licet.

Intellectus porro cum cogitat, aut *percipit*, aut *judicat*, aut *ratiocinatur*, aut tandem ſuas cogitationes *diſponit*. Quae quidem vulgo appellantur intellectus *operationes*.

Perceptio ſive *ſimplex apprehenſio* dicitur intellectus cogitatio, qua rem percipit duntaxat, nihilque de illa ait aut negat. Veluti cum *lineam*, *angulum* percipio.

Haec autem perceptio multiplex eſt. 1. *Intellectio pura* dicitur ea cogitatio, qua rem percipimus nulla corporea imagine expreſſam.

2. *Imaginatio* eſt cogitatio, qua res ita concipitur, ut ſenſibilis illius imago intra nos efformetur;

3. Dicitur etiam *imaginatio* actus ille, quo abſentium rerum imagines iterum animo repraeſentamus.

4. *Memoria* vocatur vis illa, qua iterum percipimus, quae olim percepimus, conſcii quidem nos ea percepiſſe. Qua ſublata conſcientia nulla eſt memoria.

5. *Senſatio* duplex eſt, *interna*, atque *externa*. Illa eſt vis, qua Mens ſeſe, & quidquid intus agit aut patitur perſentiſcit. Haec vero eſt perceptio rerum externarum, quae ſenſus corporis afficiunt.

In ſenſatione externa duo ſunt diſtinguenda, motio in ſenſuum organis excita, & Mentis attentio. Alterum pendet a rebus objectis, quae exſtrinſecus ſenſibus occurrunt. Alterum ad Mentem attinet, quae niſi attendat, res externas in ſenſus offendentes percipere nequit. Al-

Altera intellectus operatio est *Judicium*. Est autem *judicium* Mentis actio, qua duarum rerum convenientiam aut dissensionem percipit. Itaque duplex est, ***adfirmans***, aut ***negans***: nimirum ajo *virtutem esse laudabilem*; nego *avarum esse beatum*.

Tertia intellectus operatio est *Ratiocinatio*, sive *discursus*: ille scilicet actus, quo duo judicia simul componimus, & ex iis tertium colligimus. Ex. gr. Vera virtus ad Deum referenda est; suas autem virtutes ad Deum non retulerunt Gentiles; vera igitur virtus non erat.

Methodus tandem dicitur certus quidam ordo, quo perceptiones, judicia, ac ratiocinationes disponuntur ad veritatem aliquam detegendam.

LOGICAE PARS I.

CAPUT I.

De Ideis.

CUm aliquid percipimus, illius quamdam notionem nobis ipsi animo repraesentamus: notio isthaec dicitur *idea*. Est itaque idea id, quod praesens est nostrae Menti, cum aliquid percipit, *forma* nimirum, *species*, *exemplar* rei objectae.

Idea porro distinguenda est a *visione* sive *phantasmate*; Ex. gr. imago illa, quae mihi, dum *florem* cogito, *florem* exhibet, non est *idea*, sed *visum* aut *visio*. *Purae* igitur *perceptionis* actus est idea, visio vero *imaginationis*.

Ideae, inspecta earum origine, sunt *adventitiae*, *factitiae*, & *innatae*. Adventitiae sive *adquisitae* sunt quae per sensus nobis adveniunt. Hujusmodi sunt ideae rerum omnium corporearum.

Factitiae, quas ex adventitiis componendo vel separando, vel alio quovis pacto nos ipsi effingimus. Veluti idea *centauri*, *superficiei* &c.

Innatae a quibusdam dicuntur illae, quas in animo consignatas a prima nostri origine habemus.

Quod si Idearum affectiones inspiciamus. I. Ideae

Ideae aut sunt *clarae*, aut *obscurae*. Clara quidem est idea, si rei objectae peculiares proprietates exhibet. Obscura vero, si communes duntaxat cum aliis proprietates praesefert. Nimirum rei alicujus claram ideam habeo, si propria illius attributa cognosco; quod si communes & vagas proprietates perspectas habeam, obscura illius rei mihi obversabitur idea. Ex.gr. valde obscura est idea *quadrati*, si illud ut *figuram planam quadrilateram* concipio; haec enim proprietas tum quadrato, tum ceteris parallelogrammis ac trapeziis communis est. Ea erit minus obscura, si quadratum ut *quadrilaterum parallelogrammum* mihi exhibeam; id enim convenit quadrato aeque ac ceteris parallelogrammis. Quod si quadratum concipio ut *figuram quadrilateram aequilateram & rectangulam*, clara erit illius idea.

II. Iddeae sunt vel *distinctae*, vel *confusae*. Confusa porro esse potest idea tribus de caussis. 1. Si rei objectae proprietates non apte internoscantur; quod quidem oritur ex praecipiti mentis perceptione, quae uno obtutu rem considerat. Veluti si non apte secerno proprietatem, qua latera aequalia quadratum habet, ab ea, qua angulos rectos habet.

2. Si proprietates oppositas, aut ad aliam rem pertinentes in idea alicujus rei simul admisceo. Veluti si quis humanam Mentem concipiat ut materiam subtilissimam, quae in homine cogitat.

3. Si rei objectae proprietates cum meis affectionibus permisceo. Veluti cum calorem

illum, quem manu ad ignem admota sentio in igne esse existimo.

Si triplex hoc vitium abest, ideae sunt distinctae. Nimirum si rei proprietates apte secernantur, si repugnantes proprietates non admisceantur, si cum rei proprietatibus nostrae affectiones non confundantur

III. Idea vel est *completa*, vel *incompleta*. Completa quidem est, si per eam res ab omnibus aliis semper secernitur; hujusmodi est idea quadrati, ut figurae quadrilaterae aequilaterae & rectangulae. Incompleta vero, cum ope illius res ab aliis non distinguitur; cujusmodi est idea, qua quadratum ut figura quadrilatera concipitur. Hinc patet ideam completam reciprocari cum clara; incompletam vero cum obscura.

IV. Idea dicitur *adaequata*, si omnes omnino rei proprietates perspectas habeo; secus vero, *inadaequata*. Hinc patet non oportere adaequatam esse ideam, ut sit clara. Nam clara proprias tantum, adaequata vero omnes ad unam rei proprietates complecti debet.

V. Idea vel est *simplex*, vel *composita*. Simplex dicitur illa, in qua ne per conceptum quidem Mentis plura licet distinguere. Hujusmodi sunt ideae sensationum, actuum, & affectionum nostrae Mentis. Incassum enim nitimur, si partes ullas distinguere velimus in sensu odoris rosae, in actu voluntatis &c. Composita vero, in qua plura seorsum intelligere possum. Hujusmodi sunt ideae omnium corporum, civitatis, exercitus, virtutum, vitiorum.

VI.

VI. Ideae in *veras*, aut *falsas* vulgo distinguuntur. Ideae porro vel ad id, quod interius in Mente est, sive ad se ipsas, vel ad aliquod exterius ab ipsis distinctum referuntur. Si ad se ipsas referantur, nullus in ideis falsitati locus esse potest. Nam idea est rei forma animo comprehensa; fieri igitur nequit, ut Menti non obversetur, quod illi reapse obversatur.

At si ad aliquid exterius referantur, falsitatem admittere possunt ideae. Quae quidem falsitas ex falso Mentis judicio proficiscitur. Hujusmodi falsa est idea *centauri*, si Mens quoddam animal reapse exsistere putet, cui illa respondeat.

VII. Ideae in *singulares*, *particulares*, atque *universales* dividuntur. Singularis est, quae rem certam, determinatam exprimit: ut idea *Platonis*. Particularis, quae rem unam, sed indefinitam exhibet: ut idea *cujusdam hominis*. Universalis, quae pluribus rebus communis est, ut idea *humanitatis*.

Hujusmodi autem universales ideae ope *abstractionis* efformantur. Est enim abstractio Mentis actus quo omissis iis, quae singularum rerum propria sunt, ad illud attendit, quod iis commune est. Differt autem abstractio a *praecisione*. Hujus enim opera alicujus rei proprietates alias ab aliis seorsum consideramus.

VIII. Jam vero communes sive universales ideae ad quinque classes revocantur. Vulgo *universalia* sive *praedicabilia* dici consueverunt, quippe *praedicari*, h. e. enunciari possunt de aliquo. Sunt autem

1. *Genus* est idea attributi, *quod sui similes* com-

communione quadam, specie autem differentes, duas pluresve complectitur partes. Sic idea *substantiae* complectitur *Spiritum* & *Corpus*. Est autem *summum* aut *medium*. Illud nulli subjicitur, ut *Ens*: hoc autem ita genus est, ut possit esse species: veluti *Corpus*, quod in *animatum*, & *inanimatum* distinguitur, *substantiae* vero subjicitur.

2. *Species* sunt hae, *in quas Genus dividitur*: veluti sunt *Spiritus* & *Corpus*, quae sunt species substantiae.

3. *Differentia* est id, *quo species genus excedit*: sive quo species a specie differt, individuum ab individuo. Ita quod triangulum *tribus* comprehendatur *lineis*, est illius differentia.

4. *Proprium* est attributum, *quod necessario ex differentia sequitur*. Veluti quod trianguli duo latera utcunque sumta tertium excedant.

5. *Accidens* est attributum, *quod sine rei detrimento ab illa abesse potest*: ut in cera rotunditas.

IX. Ideae ratione eorum, quae repraesentant, dividuntur in ideas *Substantiarum*, & *Modorum*. *Substantia* sive *res* appellatur illud, quod per se constat, suam habet exsistentiam, seorsum ab aliis exsistit, in seipso, non in alio tamquam subjecto inhaeret. *Modus* vero sive *proprietas*, aut *attributum* est illud, quod in re, cujus modus est, exsistit, Substantiae nimirum inhaeret.

Singularum porro substantiarum ideae conflantur ex ideis modorum. Modos enim, quos veluti colligatos simul cohaerere sensibus percipimus, unius substantiae nomine designamus.

Ita

Ita *extensionem*, *divisibilitatem*, *mobilitatem*, *soliditatem* &c. simul conjunctas *Corpus* appellamus. Contra vero modorum ideae ex substantiarum ideis lucem accipiunt. Neque enim modus est, nisi substantia ea *essendi* ratione praedita.

A vero aberrat Lockius, qui substantiam definit ignotum subjectum, quod modis *substat*, h. e. subest: unde colligit singularum rerum ideas nihil aliud praeseferre, nisi proprietatum simul exsistentium collectionem, quibus ignotum subest subjectum. Hoc enim ignotum subjectum, quod ipse fingit, vaga est generis idea, quam non modo singulis substantiis, verum & figuris, numeris, durationi, & ceteris quibuscunque adnectere solemus. Absurdus autem esset, qui communem hujusmodi ideam reapse exsistere, & ab ipsis peculiaribus rebus distingui arbitraretur. Ita cum triangulum veluti figuram planam tribus comprehensam lineis concipimus; nemo dixerit esse aliquam figuram, quae diversa a spatio tribus lineis definito subsit trianguli proprietatibus.

Quamobrem cum peculiares substantias animo complectimur, proprietatum, quae simul sunt, cohaesionem & nexum investigare debemus. Illae enim ita secum cohaerent, ut aliarum ratio in aliis contineatur.

Substantiae porro alicujus *Essentia* dicitur ea proprietas, quae prima concipitur, aliarumque rationes in se comprehendit. Hinc ceterae proprietates in *essentiales* & *accidentales* distinguuntur. Illae si negligantur, res ipsa concipi nequit: his autem licet non attendatur, res ipsa concipitur.

X.

X. *Relationis* idea dicitur ea, qua ad aliam contemplandam ducimur. Ita idea *patris* complectitur *filiorum* procreationem. Atque haec relatio rei ipsi innititur, quatenus haec caussam affert, quare Mens illam ad aliam referat.

CAPUT II.

De Definitione & Divisione.

DEfinitio est *oratio, quae quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime.* Duplex est, *nominis* & *rei*: illa vocis potestatem, haec rei naturam aperit. Illa ab hominum arbitrio pendet: haec cum re ipsa conveniat oportet.

Rei definitio vel est *essentialis*, vel *descriptiva*. Prima fit per attributa essentialia, *genus* nimirum ac *differentiam*: veluti: *Triangulum est figura plana tribus circumscripta lineis*. Altera vero per proprietates, quae ad essentiam non pertinent: veluti: *Homo est animal bipes, implume, capite erecto* &c.

Definitio oportet 1. ut non sit amplior, neque angustior re definita: 2. ut brevis sit; proximum nimirum genus ac propria differentia adhibeatur: 3. ut sit clarior re definita.

Divisio est *totius in partes distributio*. Totum autem *Logicum* est aut *Physicum*. Illud partes potestate quadam sibi subjectas habet: ut *animal*, quod dividitur in *hominem* & *belluam*. Hoc vero a partibus reapse componitur: ut *homo*, qui constat *Mente* & *corpore*.

In divisione 1. nulla pars praetermitti, aut redundare debet: 2. pars una aliam non comple-

plectatur. 3. gradatim & per membra proxima fiat.

CAPUT III.

De idearum signis, seu de Vocibus.

VOces ea de caussa sunt institutae, ut interna animi sensa aliis aperirentur. Sunt igitur idearum signa. Non ita tamen, ut natura ipsa vocibus nexae sint ideae; vocum enim potestas ab hominum pendet arbitrio: at usu quotidiano nectuntur.

Plura tamen sunt vocum genera. Et 1. voces aut sunt *universales*, aut *particulares*, aut *singulares*: prout nimirum magis minusve patent ideae illis destinatae. Recolantur igitur quae dicta sunt cap. I. num. VIII.

2. Vox est vel *synonima*, vel *homonima*, vel *analoga*. Synonima, quae Scholis dicitur *univoca*, est quae secundum unam eamdemque rationem pluribus tribuitur: ut *homo* eadem notione Caio & Sempronio tribuitur.

Homonima, sive Latinis *ambigua*, Scholis *aequivoca*, est quae plane diversa significat: veluti *aries*, quae vox belluam, machinam bellicam, & signum caeleste significat.

Analoga, sive *translata*, est quae propter proportionem aliquam pluribus accommodatur: veluti cum *capitis* nomen montis, arboris, &c. fastigiis tribuimus.

3. Vox vel est *finita* sive *positiva*, quae scilicet rem certam significat, ut *homo*, *sapidus*: vel *infinita* sive *negans*, quae rem aliquam, & rei

rei ipſius abſentiam praeſefert, ut *non homo*, *inſipidus*.

Jam porro vocibus recte utendum eſt, ut quae loquentis animo obverſantur ideae, eaſdem in auditorum animis verba excitent. Quamobrem ſequentes regulae ſervandae ſunt.

1. Voces uſurpentur, quibus certa quaedam notio deſtinatur. Secus enim inanes erunt. Hujuſmodi ſunt nomina *caſus*, *fortunae* apud veteres, & *quaſi corporis*, & *quaſi ſanguinis* apud Epicureos.

2. Obſcurae aut confuſae ideae verbis non adjungantur. Hoc vitio laborat illa motus apud Scholaſticos definitio, *Actus entis in potentia quatenus in potentia*: tum *vacui horror*, *antipathia*, *ſympathia* ſtupidae naturae attributa.

3. A vocibus ambiguis abſtineatur: niſi earum vis facile dignoſcatur, aut explicetur: tum translatae ita adhibeantur, ut ex orationis contextu earum ſententia eruatur.

4. Iisdem vocibus eaedem ſemper notiones ſubjiciantur.

5. Uſitatis vocibus novus ſenſus non affingatur, neque nova inducantur vocabula, niſi alii praemoneantur.

Recenſitis regulis alias adjungere praeſtat, quibus alios probe intelligere poſſimus. Tria porro in anteceſſum nobis comperta ſint, cum ad alicujus libri lectionem accedimus.

1. Linguam, qua ab auctore ille exaratus eſt, callere debemus: 2. auctoris mores, & ingenium, conſuetudines & religionem civitatis, in qua floruit, in explorato habeamus: 3. aeta-

ta-

tatem, qua ille vixit, inquiramus. Quisque enim patriae moribus affinia scribit, & vocabula eo sensu accipit, quo per suam aetatem usurpari solent.

Deinde 1. quavis de auctore praejudicata opinione vacui librum legendum aggrediamur. 2. verba usitato sensu accipiamus, nisi absurdam exprimant sententiam. 3. In metaphoricis locutionibus ad translatum sensum animum intendamus.

Ut autem metaphoras dignoscamus, quatuor adhibebimus regulas: Prima est: Quod prolixa oratione inculcatur, metaphoricum non est. Est enim praeter rei naturam, ut metaphorae, quae proprio sensu falsae sunt, sint continuae.

Altera est: Locutiones, quarum veritas probatur, non sunt metaphoricae Metaphora enim proprio sensu falsa est; frustra igitur in hoc sensu illius veritas probaretur.

Tertia est: Locutiones, quae admirationi, aut dubitationi locum dant, non sunt metaphoricae. Metaphora enim neque admirari, neque dubitare sinit.

Quarta est: A familiari ac simplici oratione exsulant metaphorae: neque hae locum habent, si quis eos alloquitur, quorum captum illae excedunt.

Quod si obscurum aliquid occurrat: 1. totius orationis contextus accurate expendatur: 2. loca, quae vocant *parallela*, inspiciantur, ubi nimirum eadem vox, aut sententia occurrit: 3 aliorum interpretationes consulantur, eorum potissimum, qui auctoris linguam probe calleant, atque optime versati sint in ea re, de qua agitur.

PARS II.

CAPUT I.

De Judicio & Propositione.

JUdicium est *perceptio relationis, quae inter duas pluresve ideas intercedit*. Nimirum Mens duas pluresve ideas confert, easque aut secum convenire, aut repugnare percipit: ac perceptae relationi assentitur, Hunc autem assensum tamdiu cohibere potest, donec ideas accuratius expendat: nisi illae summa perspicuitate praeditae mutuam relationem animo attendenti ultro offerant.

Interior isthaec Mentis actio, si verbis exprimitur, *Propositionem* parit. Est itaque propositio *oratio quae aliquid de aliquo enunciat ajendo vel negando*.

Tribus igitur partibus constat propositio, *subjecto* nimirum, *praedicato*, & *verbo*. Subjectum est, de quo aliquid enunciatur: praedicatum, quod de aliquo enunciatur: verbum subjecto praedicatum convenire aut repugnare declarat. *Copula* in Scholis verbum appellatur, quippe medium inter subjectum ac praedicatum, ea conjungit aut separat; quae propterea *termini*, seu *extrema* dicuntur.

Propositio autem recte duabus vocibus, aut una absolvi potest; si quidem tribus illius partibus

tibus virtute sua respondeant. Veluti si dicam, *Mens cogitat*, quod idem valet, ac *Mens est cogitans*: vel *Cogito*, quod perinde est, ac si dicam, *Ego sum cogitans*.

CAPUT II.

De Propositionum vario genere.

IN Propositione Scholastici considerant *materiam*, *quantitatem*, ac *qualitatem*. Materiam appellant terminos propositionis: quantitatem vero, extensionem notionis in subjecto: qualitatem tandem ipsius adfirmationem, vel negationem.

I. Propositio quod ad illius *materiam* attinet *simplex* est, aut *complexa*, aut *composita*. Simplex, quae unico subjecto ac praedicato constat. Veluti *Corpus est extensum*.

Complexa, quae aliam *incidentem* propositionem complectitur; quae quidem incidens vel *definit*, vel *explicat* aut *ornat* subjectum. Primi generis est: *Triangula, quae sunt isoscelia, habent angulos ad basim aequales*. Alterius vero *Achilles, qui marinam Thetin matrem habuit, Hectorem devicit*.

Composita, quae pluribus subjectis & praedicatis coalescit. Veluti: *Odium & amor sunt utilia & noxia*.

II. Jam porro Propositionis compositio vel aperta est, vel latet. Aperta quidem est, cum Propositio est

1. *Conjuncta*, in qua scilicet plura subjecta vel praedicata *copulativis* particulis conjungun-

guntur: *Non bene conveniunt, nec in una sede morantur majestas & amor.*

2. *Disjuncta*, ubi duo *disjunctivis* particulis separantur: *Imperat aut servit collecta pecunia cuique.*

3. *Hypothetica*, cujus duae partes hypotheticis particulis conjunguntur: quarum una *antecedens*, altera *consequens* dicitur: *Si lucet, dies est.*

4. *Caussalis*, cujus partes pendent a caussalibus particulis: *Possunt, quia posse videntur.*

5. *Discreta*, quae per adversativas particulas diversa exprimit: *Fortuna opes auferre, non animum potest.*

6. *Relata*, cujus una pars refertur ad aliam: *Tanti es, quantum habeas.*

Abdita est compositio, si propositio 1. est *Exceptiva*, quae a subjecto aliquid excipit: *Omnia sunt mortalia praeter spiritus*; duo sane adfirmantur, tum *spiritus esse immortales*, tum *cetera mortalia.*

2. Exclusiva, quae aut omne aliud praedicatum a subjecto, aut omne aliud subjectum a praedicato excludit: *Oculus videt tantum: Deus duntaxat est immortalis.* In hisce compositionem explicare facile est.

3. *Comparativa*, quae inter duas pluresve res comparationem instituit: *Achilles fuit Hectore fortior*; ubi duo continentur, *ambos nimirum fuisse fortes*, tum *Hectore Achillem fortiorem.*

4. *Inceptiva*, quae alicujus rei initium docet.

5. *Desitiva*, quae exitum declarat. In iis duae

duae propositiones continentur ; una enim respicit statum, in quo res antea erat ; altera, quem posthac accepit.

III. Propositio, quod ad *quantitatem* spectat, est *universalis*, *particularis*, & *singularis*. id a subjecto pendet, prout illud *universaliter*, *particulariter*, aut *singulariter* accipitur.

Quod si subjectum nullo adjuncto determinatur, propositio est *indefinita*: veluti, *senex est morosus*.

Universalis porro propositio aut *moraliter* talis est, aut *metaphysice*. Moraliter, si quam admittat exceptionem : ut *Omnes Cretenses sunt mendaces*. Metaphysice vero, si nulli subjiciatur exceptioni : ut, *Omnes circuli radios habent aequales*.

Nonnumquam propositio est universalis, licet species omnes, non autem singulae generis partes intelligantur: veluti si de quopiam dicatur, *eum Reipublicae magistratus omnes gessisse*.

IV. Propositio, quod ad *qualitatem* pertinet, est *adfirmans*, vel *negans* : prima subjecto praedicatum adjungit, altera removet.

Propositio adfirmans praedicatum subjecto adnectit in tota illius *comprehensione*, non vero *extensione*. Comprehensio autem dicitur quidquid proprietatum idea praedicati complectitur : Extensio vero id omne, cui ipsa idea communis est. Ita cum *Triangulum esse figuram planam* ajo, triangulo adscribo quidquid figurae planae notio continet, non autem omnia, ad quae illa extenditur.

Contra propositio negans praedicatum qua late patet divellit a subjecto, quamvis aliquid secum commune habeant. Ita *triangulum esse quadrilaterum* nego, quamvis in ratione *figurae planae* conveniant.

V. Propositiones opponuntur inter se, cum eodem constantes praedicato, & subjecto dissident inter se vel secundum *qualitatem*, vel *quantitatem*, vel utramque.

Propositiones qualitate tantum diffidentes, si sunt universales, dicuntur *contrariae*: ut *Omnis homo est liber*: *Nullus homo est liber*: Si particulares, *subcontrariae*; ut *aliquis homo est justus* : *aliquis homo non est justus*.

Quae vero quantitate tantum discrepant, dicuntur *subalternae*, ut *Omnis homo est liber*: *Aliquis homo est liber*.

Quae vero qualitate, & quantitate pugnant dicuntur *contradictoriae*; ut *Omnis homo est liber* : *Aliquis homo non est liber*. Sed usus invaluit, ut contradictorias dicamus, quarum altera negat, quod altera ait.

CAPUT III.

De Propositionum Veritate & Falsitate.

PRopositio si conjungenda componit, & sejungenda separat *vera* est; sin contra, *falsa*. Id autem dijudicamus, cum quae propositio enunciat perspecta habemus, eaque invicem conferimus, atque eorumdem relationem expendimus.

Id facile in simplicibus propositionibus depre-

prehendere licet : at in compositis nonnulla sunt animadvertenda. 1. In complexa incidentis, quae subjectum definit, veritas, & falsitas in totam redundat propositionem; quae vero incidens subjectum explicat, nihil conducit ad veritatem, aut falsitatem illius.

2. Conjuncta vera erit, si partes omnes, unde constat, verae sint.

3. Disjuncta vera est, cum partes nihil medium admittunt.

4. Hypotheticae veritas pendet ex recta illatione; adeo quidem ut illa vera sit, quamvis utraque pars sit falsa.

5. Caussalis vera erit, si quod exprimitur, vera sit alterius caussa.

6. Discretae veritas consistit in partium oppositione.

7. Relatae veritas pendet ex recta relatione.

8. Exclusiva, & exceptiva verae censendae sunt, si quae a praedicato, aut subjecto excluduntur, recte excipiantur.

9. Comparativa vera est, cum ea, quae conferuntur, commune habeant praedicatum, in quo comparantur.

PARS III.

CAPUT I.

De Ratiocinatione, & Syllogismo.

Ratiocinatio est actus intellectus, quo actu ipse instituta duarum idearum comparatione cum tertia, jungendae ne istae sint, an separandae, cognoscit. Hinc in ratiocinatione tria judicia a Mente efformantur: Primum quo praedicatum cum tertia idea confertur: alterum, quo subjectum cum eadem comparatur: postrema vero, quo subjecti cum praedicato connexio, aut repugnantia colligitur.

Ratiocinationi perfecte syllogismus respondet. Est autem syllogismus argumentatio tribus propositionibus composita ita connexis, ut postrema e prioribus proficiscatur. Hujusmodi propositionum in Scholis prima dicitur *major*, secunda *minor*, postrema *conclusio*, sive *consequentia*. Major autem appellatur, quia *majorem terminum*, hoc est, praedicatum conclusionis complectitur: Minor quia minorem terminum, h. e. subjectum conclusionis continet; ambae etiam *praemissae* vocantur. Tertium vero illud, cum quo praedicatum ac subjectum comparantur, *medius terminus* indigitari consuevit.

Tres

Tres itaque terminos complectitur syllogismus; duarum enim praemissarum altera praedicatum, altera subjectum cum medio termino comparat; conclusio vera ea connectit.

Jam vero recti syllogismi ratio ea est, ut conclusio in praemissis comprehendatur. Syllogismus enim eo respicit, ut *quaestionis* alicujus veritatem probet: *quaestio* autem est propositio demonstranda, quae locum conclusionis occupat in syllogismo: Quaestio porro probatur ope clarioris propositionis, quae illam complectatur. Quoniam vero iisdem verbis eam complecti nequit: alia propterea adjungitur propositio, quae in priori propositione quaestionem contineri ostendat.

Exemplum esto: probandum sit, *Mentem esse spiritualem*; id efficitur ope hujus propositionis, *Quod cogitat est spirituale*: quae sane quaestionem complectitur: idque aperitur aliam addendo propositionem, nimirum, *Mens cogitat*. Itaque cum intelligitur *id quod cogitat esse spirituale*, & illud patet, veluti in eo inclusum, *Mentem esse spiritualem*, quippe quae *cogitat*.

Eadem ratione, si demonstrandum suscipiam, *Mentem non esse corruptioni obnoxiam*; illud proponam, *spiritum corruptionem non posse subire*, tum & illud addam, *Mentem spiritum esse*. Cum enim nego *spiritum corruptionem subire*, nego etiam *Mentem eidem esse obnoxiam*, quippe quae *spiritus est*.

Generalis itaque canon in syllogismo efformando is est, ut praemissarum altera conclusionem complectatur, altera in illa eam com-

prehendi explicet. Altera scilicet *comprehensiva*, altera *explicativa* sit.

Id autem assequemur, si duo nobis expendenda proponamus. 1. Quaenam in subjecti & praedicati ideis proprietates comprehendantur. 2. Quaenam in eadem idea secum conveniant.

Ad recensitum canonem veluti ad obrussam syllogismi exigantur. Hinc recte procedere hunc Senecae syllogismum colligimus:

Qui id beneficium dedit, quo est aliquid melius, potest vinci:
Atqui Pater dedit filio vitam, qua est aliquid melius
Ergo Pater vinci potest.

At si tritum illud sophisma expendamus,

Quod ego sum, id tu non es:
Homo autem ego sum;
Homo igitur tu non es.

profecto hujus falsitatem nobis deprehendere datur.

CAPUT II.

De ceteris Argumentationum speciebus.

I. ENthymema est veluti decurtatus syllogismus: si nimirum propositio, quae facile intelligi potest, reticetur. Ex. gr. *Servare potui; ergo possum perdere.*

II. Epichirema contra est syllogismus redundans: si nimirum majori, aut minori suae probationes adnectantur. Ex. gr.

Humanae voluntatis appetitus immensus est: quo enim affluentius voluptates hauri-

rimus, eo ardentius sitire experimur.
Atqui quaecunque hujus vitae bona finita sunt; quippe e nihilo condita:
Voluntatis igitur appetitus praesentis vitae bonis satiari nequit.

III. Prosyllogismus fit, cum uni syllogismo ita alius subnectitur, ut primi conclusio sit major alterius: Ex. gr.

Spiritus partium expers est:
Mens autem spiritus est;
Mens igitur partibus caret.
Sed quod partibus caret, corrumpi nequit;
Ergo Mens corrumpi nequit.

Penultima propositio *minor subsumta* in Scholis vocatur.

IV. Sorites componitur ex pluribus propositionibus ita connexis, ut praedicatum unius sit etiam subjectum alterius, atque ita deinceps, donec primae subjectum cum praedicato postremae in conclusione conjungatur. Ex gr.

Mens est substantia cogitans,
Substantia cogitans est spiritus,
Spiritus partibus caret,
Quod partibus caret, non est dividuum,
Quod dividuum non est, corrumpi nequit;
Ergo Mens corrumpi nequit.

Singulae porro propositiones verae sint oportet; secus sorites in paralogismum degenerabit.

V. *Dilemma*, sive bicornis argumentatio, totum in duas partes dispescit, ut de toto concludat, quod de singulis partibus ostendit. Ex. gr.

Unusquisque in hac vita aut cupiditatibus

sese addicit, aut iisdem obluctatur.
Si illis indulget, miser est; earum enim sitim numquam explere poterit.
Si iisdem resistit, miser erit: nihil enim hoc intestino bello molestius.
Nemo igitur vere beatam vitam agere potest.

Nonnumquam propositio disjunctiva elegantius omittitur. Ne autem dilemna in sophisma degeneret, animadvertendum 1. ne propositio disjunctiva aliquid medium admittat: 2. ut conclusiones ex partibus legitime deducantur: 3. ne retorqueri possit.

VI. *Inductio* ex pluribus particularibus enumeratis aliquod universale colligit. Ex. gr.
Singuli sive summo sive infimo loco nati curis exeduntur.
Unaquaeque aetas sua patitur incommoda:
Hic improbos corporis fert labores: ille studiis animum fatigat.
Praesens igitur hominis vita non est ab omni parte beata.

CAPUT III.

De Fallaciis Argumentorum.

PLura sunt in caussa, cur in argumentationes fallacia derivetur: unde fit, ut syllogismi in paralogismos ac sophismata degenerent.

I. *Aliud probare, quam quod est in quaestione.* Vulgo appellatur *ignoratio elenchi*, illius scilicet, quod ostendendum est. Ex gr. *Quan-*

Quando nos sumus, mors non est; quando mors est, nos non sumus; mors ergo nihil ad nos. Atqui quaestio in eo versatur, num ipsum mori dolorem inferat.

II. *Quod in disquisitione positum est pro argumento sumere*. Dici id solet *petitio principii*. Ex. gr. *Unius substantiae ideam habemus; ergo una in rerum natura existit substantia*. Nimirum pro explorato statuitur unius substantiae ideam dari, quod scilicet in quaestionem cadit.

III. *Vitiosa circuitione uti*. *Vitiosum circulum* vulgo appellant: nimirum cum idem probatur per idem. Ex. gr. *Sidera inerrantia scintillant, quia maxime distant: longe vero distant, quia scintillant*.

Advertendum autem vitiosam non esse circuitionem, cum ex eo, quod aliunde constat, aliquid ostenditur; quo probato rursus illud inde demonstratur.

IV. *Tamquam caussam rei accipere, quae caussa non est*. Ex gr. *Dum Christianismus vigeret coepit, mille calamitates Romam oppresserunt; Christianismus igitur omnium calamitatum caussa fuit*. Quid enim illae cum Evangelio commune habuerunt?

Huc revocatur inepta illa concludendi ratio: *post hoc, ergo propter hoc*.

V. *A sensu diviso ad compositum*, & contra *a composito ad divisum gradum facere*. Si nimirum ea conjunguntur, quae recte intelligi nequeunt, nisi disjungantur: aut dividuntur, quae dividenda non sunt. Ex.gr. *Sedens stare nequit: sedes; ergo numquam stare poteris*.

VI. *A dicto secundum quid ad dictum simpli-*

plicter. Nimirum cum ex eo, quod certa quadam ratione verum est, quid generale colligitur. Ex. gr. *Nihil pulcrius humani corporis forma: pulcritudo omnis in Deo reperitur; Deus igitur humanam formam habet*. Humani sane corporis forma, si ad corpora referatur, pulcritudinem praesefert.

VII. *Vitiosa enumeratione uti*. Scilicet cum ex paucissimis partibus recensitis, quod de iis probatum est, universe ad totum convenire colligitur. Ex. gr. *Oleum, vinum, urina, &c. cum in glaciem concrescunt; condensantur. Ergo omnes liquores conglaciati condensantur*. Atqui aqua glacie concreta rarefit.

VIII. *Vocum ambiguitate abuti*. Si nimirum nomen ambiguum, uno sensu cum subjecto, altero cum praedicato copulatur. Ex. gr. *Qui ait te esse animal, verum dicit: Qui autem ait te esse anserem, ait te esse animal; Qui igitur ait te esse anserem, verum dicit*.

CAPUT IV.

De Caussis Errorum.

Errorum caussae potissimum repetendae sunt ex *Praejudiciis*, *Cupiditatibus*, *Philautia*, *Negligentia*, *&* *Praecipiti Judicio*.

I. Praejudicia, sive *praejudicatae opiniones* sunt praeconcepta citius, quam par est, animo judicia. Ea proficiscuntur 1. ex *partium studio*: cum nimirum certis quibusdam destinatisque sententiis addicti & consecrati sumus; unde fit, ut constantiae caussa vel quae non probamus

mus defendere cogamur. 2. ex *auctoritatis aestimatione*: cum scilicet ex alienis judiciis ita pendemus, ut etiam sine ratione apud nos valeat auctoritas. 3. ex *disputationis amore*: si nimirum privatae opinionis studio incensi contradicendi prurigine abripiamur: 4 ex *multitudinis sensu*; si nimirum vulgi opiniones pecudum more, nulla addibita ratione, sequimur. Jam vero Mentis nostrae ratiocinia certis quibusdam principiis reguntur. Si igitur praejudiciis illa innituntur, perversa omnino erunt, atque errandi facilem occasionem dabunt.

II. Cupiditates cum animum immutent, immutant etiam judicia, quae de rebus objectis feruntur. Ea igitur pervertunt.

III. Cupiditatum maxima est philautia; amore enim sui captus homo eam, quae sibi arridet sententia, veram esse tuetur, aliorum rationibus omnino posthabitis.

IV. Negligentia ac taedium laboris veritati comparandae adversatur.

V. Tandem errandi caussam plerumque affert praeceps judicium. Cum enim extemplo ac temere perceptae idearum relationi assentimur, vix imo ne vix quidem fieri potest, ne decipiamur.

PARS

PARS IV.

De Methodo.

Methodus a Philosophis nuncupatur ars illa, qua cogitationes nostras eo ordine disponimus, ut ad veritatem inveniendam, eamque aliis explicandam ducamur.

Duplex igitur est, altera *analytica*, sive *resolutionis*, altera *synthetica*, sive *compositionis*. Priore veritas investigatur, posteriore veritas inventa docetur.

Ambae in eo conveniunt, quod a notis ad ignota progrediantur; idque adsequantur per conclusiones, quae a semel cognitis deducuntur.

Discrepant vero: quod Methodus analytica veritatem investigat per resolutionem compositorum in simplicia, ac totius in partes, ac paullatim a singularibus ad universalia progreditur.

Contra Methodus synthetica generales veritates proponit, unde singulares deducit, atque ab universalibus ad particularia descendit.

CA-

CAPUT I.

De Methodi Analyticae Regulis.

I. PRopositae quaestionis status probe expendatur. Quaevis sane quaestio certos quosdam praesefert characteres; unde intelligere datur, quidnam quaerere oporteat. Eos cognitos habeamus; secus enim incerti vagabimur.

Ea propter conditionibus, si quae sint, prospiciamus: hae quidem neglectae difficilem reddunt quaestionem: intellectae vero ejus solvendae viam aperiunt.

Porro quaestionis status recte definitur, si verbis perspicuis, quae ambiguitate careant, ea proponatur. Ita ex gr. si quaeratur *caussa soni*, ita planius quaestio proponetur: *Quid sit illud, quod tum aeri pulsato, tum ex hujus percussione auribus accidat, unde soni perceptio excitatur.*

II. Diversae ideae in quaestione occurrentes separentur; facilius enim in plures peculiares quaestio soluta expedietur. Hinc proposita quaestio ita dividetur: 1. *Quid aeri pulsato contingat, quidve illud praestet: 2. Cui tribuenda sit communicatio inter corpus sonorum & aures. 3. Quid auribus ipsis accidat.*

III. Argumenta investiganda sunt, unde peculiares quaestiones solvantur. Nimirum excutere oportet, quae pertinent ad ea illustranda, de quibus agitur. Hinc 1. comperiemus aes, dum percutitur, affici tum motu oscilla-

torio sui ipsius, tum motu tremulo exiguarum partium ejusdem. Experimenta autem nobis ostendent ex motu potius tremulo sonum esse repetendum.

2. Inter aes atque aures lucem atque aërem interjici animadvertemus: lucem nihil conferre intelligemus; quippe noctu etiam sonus auditur; uni ergo aëri soni communicationem adscribendam esse colligemus. Communicatur autem, quia eodem tremore, quo partes corporis sonori oscillant, circumjectus aër afficitur; qui eo veluti undante ad aures usque devehitur.

3. Inspecta aurium structura intelligemus modum tremulum tympano communicatum diffundi per interius auris cavum, atque inde concuti nervum acusticum.

IV. Quidquid inventum est colligatur in unum, ut propositae quaestionis solutio habeatur.

CAPUT II.

De Methodi Syntheticae Regulis.

GEometrae, quibus utraque methodus peculiaris est, cum inventas veritates aliis proponunt, tria sibi exsequenda praescribunt. 1. A vocibus ambiguis abstinent; hinc vocum, quibus utuntur, *definitiones* praemittunt. 2. Ratiocinationes perspicuis principiis adstruunt: idcirco *axiomata* proponunt. 3. Demonstrativis argumentis omnia ostendunt; hinc ipsorum theoremata ac problemata definitionibus, axio-

axiomatis, & propositionibus demonstratis innituntur.

Haec autem Methodus suis regitur regulis, quarum duae definitiones, tertia axiomata, ceterae duae demonstrationes respiciunt.

I. Nullum vocabulum subobscurum, aut ambiguum sine definitione adhibeatur: potissimum si sint *technica*, h. e. *cuique arti propria*.

II. In definitionibus vocabulis notissimae significationis aut explicatis utendum.

III. Nihil loco axiomatis habeatur, quod non sit evidens. Hinc 1. cum in propositione subjecti ac praedicati mutua relatio mediocri attentione adhibita ipsa per se animo objicitur; axioma erit ea propositio. 2. Si propositione inspecta hujusmodi relatio statim non deprehenditur; ea non erit axioma.

IV. Nihil in demonstrationibus adhibeatur praeter definitiones, axiomata, & propositiones jam demonstratas.

V. Numquam in iis ambiguitate vocum abutendum.

ME-

METAPHYSICAE ELEMENTA.

Metaphysica est ea philosophiae pars, quae *contemplatur res a corporea concretione sive reapse immunes, sive vi mentis abstractas.* Ea porro in tres partes dispertitur; altera de Ente, ejusque affectionibus agit, dicta propterea *Ontologia*; altera humanae Mentis naturam, ejusque dotes prosequitur, ac *Psychologia* nuncupatur: tertia Dei exsistentiam, atque attributa rationis lumine perscrutatur; quae idcirco dicitur *Theologia*.

METAPHYSICAE PARS I.

ONTOLOGIA.

CAPUT I.

De Principiis cognitionis humanae.

§. I. *De Principio Contradictionis.*

Vulgatum axioma, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, nuncupari solet in Scholis *Contradictionis principium*, quia contumaces sibi ipsos *contradicere* ostenditur, cum per illud indirecte demonstratur aliquid, quod ipsi negaverint.

Hoc

Hoc porro axioma nostrarum cognitionum principium est, quae in rebus necessariis versantur. *Necessarias* appellamus ejusmodi res, quae uno duntaxat pacto determinari possunt. Est autem harum cognitionum principium, quia ipsarum veritas ex eo axiomate proficiscitur, in eo innititur, atque ad illud revocatur.

PROPOSITIO. *Contradictionis principio innititur veritas cognitionum, quae ad res necessarias attinent.*

Prob. I. Illud veritatis fundamentum est, quo stante suarum cognitionum certa Mens est; quove sublato, incerta est. Atqui stante Contradictionis principio suarum cognitionum certa Mens est, incerta vero eo convulso. Ergo ..

Demonstr. Minor. Esto, idem simul sit, & non sit; ergo trianguli rectilinei duo latera eodem temporis vestigio tertium excedunt, & non excedunt. Cum igitur ea tertium superare percipio, hujus cognitionis certus non sum. Ergo pessum ibit veritas nostrarum cognitionum, quae res necessarias respiciunt, si contradictionis principium convellatur.

Prob. II. Nostrae cognitiones versantur circa res necessarias, possibiles, atque impossibiles: Atqui hujusmodi notiones ad Contradictionis principium revocantur. Ergo.

Prob. Minor quod ad singulas partes. 1. Necessarium dicitur, cujus oppositum esse nequit, quippe contradictionem involvit. Atqui id ad laudatum axioma revocatur. Ergo. Nam si quod necessario opponitur, verum esse ad-

mitteretur; res eadem ſimul eſſet, & non eſſet. Notio igitur rei neceſſariae ad Contradictionis principium revocatur.

2. Poſſibile dicimus, quod nullam contradictionem complectitur. Atqui id revocatur ad laudatum axioma. Ergo. Nullam complecti contradictionem idem valet, ac non fieri, ut res eadem ſimul ſit, & non ſit. Ergo.

3. Impoſſibile dicitur quod contradictionem complectitur. Id autem revocatur ad laudatum axioma. Ergo. Illud contradictionem complectitur, quo poſito res eadem ſimul eſſet ac non eſſet. Rem igitur impoſſibilem ex laud. axiomate definimus.

Hinc valet illud plurimum in demonſtrationibus *indirectis*, ut ajunt. Nimirum admiſſa contraria adverſariorum hypotheſi, ex ea efficitur idem ſimul eſſe & non eſſe: uti videre eſt apud Geometras.

Prob. III. Hujus axiomatis rivulus eſt illud, *Idem ſubjectum proprietates ſecum pugnantes complecti nequit*: Atqui ad effingendas ſingularum rerum ideas hoc axioma plurimum conducit. Ergo.

Objicies I. Cognitionis humanae principium illud eſt, unde veritates omnes, quae in eo deliteſcunt, explicantur. Atqui ex laudato axiomate nullae veritates abditae educuntur. Ergo.

Reſp. Diſtinguo majorem, atque hujuſmodi denominatio iis duntaxat tribuenda eſt, unde veritates abditae hauriuntur, nego: aliis etiam tribui poteſt, concedo. Nomine quidem principii cognitionis humanae illud intelligimus, cui

cui innititur veritas noſtrarum cognitionum. Atqui allata ſuperius argumenta ſuadent cognitiones noſtras, quae verſantur in rebus neceſſariis, ſuam haurire veritatem ex Contradictionis principio. Jure igitur illud ſtatui poteſt hoc ſenſu humanae cognitionis principium.

Objic. I. Laudatum axioma humanae cognitionis principium recte ſtatueretur, ſi illius veritas conſiſteret. Atqui Dei potentia fieri poteſt, ut idem ſimul ſit, & non ſit. Ergo. Id autem a Deo fieri poteſt; quia illius ſcientia ac potentia infinita eſt; atqui limitibus circumſcriberetur, ſi a Deo fieri non poſſet, ut idem ſimul eſſet, & non eſſet. Ergo.

Reſp. neg. min. Quod enim *abſolute* impoſſibile eſt, id ne a Deo quidem fieri poteſt: ut inferius demonſtrabitur. Nullis vero terminis Dei potentia propterea coërcetur; neque enim illius objectum eſt, quod nihil eſt: quod autem idem ſimul ſit, & non ſit, perinde eſt, ac ſi nihil dixeris.

§. II.

De Principio Rationis ſufficientis.

VEritates *contingentes* dicuntur, quarum determinatio magis haec, quam illa neceſſaria non eſt: *Ratio* autem *ſufficiens* dicitur id omne, unde intelligitur, cur aliquid ſit.

Apud omnes conſtat nihil omnino eſſe ſine ratione ſufficiente. Nimirum quaecunque eſſe

ac non esse, hoc vel alio pacto esse possunt, ab aliqua ratione determinentur oportet, ut potius sint, quam non sint, ut hoc magis, quam alio pacto sint. Ratio igitur sufficiens veritates respicit contingentes.

Haec porro ratio sufficiens non una est. Effectuum enim, qui in hac rerum universitate producuntur, ratio sufficiens est eorumdem caussa, a qua tamen effectum proficisci deprehendatur. At ratio sufficiens, unde caussae liberae ad agendum sese determinant, sita est in boni & mali rationibus, quae in objectis deprehenduntur: haec propterea *motiva* nuncupantur.

In anteceffum autem advertendum est hujusmodi motiva, sine quibus liberae caussae non agunt, earum libertati non officere. Nam I. quod ad humanam voluntatem attinet, motiva alia sunt *completa*, alia *incompleta*: illa objectum ita Menti repraesentant, ut nulla mali species in eo deprehendi possit; haec vero rem ita objiciunt, ut boni defectus aut mali ratio in ea deprehendi possit. Hominis porro voluntas cum determinatur, motivis incompletis ducitur. Atqui haec nullam libertati vim inferunt. Ergo.

Et sane voluntas naturali necessitate determinatur, cum objectum totum explet ipsius appetitum. Explet autem, cum nulla ipsi inest ratio mali, aut defectus boni; cujusmodi est *bonum in communi*, & *Deus clare visus*. Atqui cetera quaecunque objecta ejusmodi sunt, ut & mali rationem, & boni defectum in ipsis inspicere liceat. Ergo.

II.

II. Quod vero ad Deum ſpectat : motiva vel a rebus objectis deſumuntur, vel ab ipſo agente: illa *objectiva*, haec *ſubjectiva* appellare licet. Subjectiva quidem agentis libertati officere non poſſunt; quippe e ſeipſo haurit rationes, cur agat. Atqui Deus ſubjectivis motivis ducitur; is enim rerum omnium rationes in ſe comprehendit, ſibique ſufficit; ex infinita igitur ſui eſſentia rationes elicit, unde agat.

PROPOSITIO. *Nihil eſt ſine ratione ſufficiente.*

Prob. I. Si quid eſt ſine ratione ſufficiente, nihil erit, unde intelligatur, cur illud ſit. Illud igitur exſiſtit, cum nihil eſſet, unde oriretur. Atqui abſurdum eſt, nihil fieri, aut efficere aliquid. Ergo.

II. Si quid eſt ſine ratione ſufficiente, rerum omnium veritas uno temporis momento conſiſteret. Atqui hoc abſurdum. Ergo. Prob. maj. Res in eodem ſtatu perſeverat, ſi nulla mutationis ratio adſit. Si quid igitur ſine ratione eſſe poteſt, ſingulis momentis res mutationi ſine ratione ſubjicerentur. Earum igitur veritas uno duntaxat momento conſiſteret.

III. Si quid eſt ſine ratione ſufficiente, ſine Deo mundus potuit eſſe. Atqui hoc abſurdum; ergo & illud.

IV. Si quid eſt ſine ratione ſufficiente, nullum vigiliam inter & ſomnum diſcrimen eſſet. Diſcrimen autem intereſt. Ergo. Prob. maj. Ea, de quibus ſomnium facimus, nullo ſecum nexu reſpondent, quia nec volentes nec con-

 ſulti

fulti ea agimus. Si nulla igitur noftrarum actionum ratio effet, vigilantes fomniaremus.

Objic. I. Voluntas non raro fine motivis fefe determinant. Ergo. Prob. antec. Finge cuidam duos ejufdem pretii nummos offerri, ut alterutrum eligat. Atqui nulla ratio effe poteft, cur unus prae altero eligatur. Alterutrum igitur fumet, nulla ductus ratione.

Refp. neg. min. Rationes enim vel intrinfecus infunt objectis, vel faltem extrinfecus. In ejufdem pretii duobus nummis, nulla quidem ratio eorum alterutri intrinfecus ineft, cur alteri praeferatur. At fi alteruter Evandri manibus, ut ille ait, tritus, vel alicujus amici fuerit; haec quidem ratio erit, cur alteri praeferatur. Quod fi haec etiam defit, confuetudo agendi familiaris praeftabit, ut ille nummus eligatur, qui manui propior eft, qua utitur quis, cum de menfa aliquid fumere folet.

Objic. II. Nulla adeft ratio, cur velimus ea, quae deteriora judicamus. Atqui meliora videmus, & deteriora fequimur. Ergo.

Refp. dift. maj. Nulla ratione volumus ea, quae deteriora judicamus judicio *practico*, concedo; judicio *theoretico*, nego. Atqui fequimur deteriora, quae ejufmodi nobis videntur judicio *theoretico*, concedo; *practico*, nego. Duplici quidem ratione res objectas Mens confiderat: eas vel generaliter & in fe ipfis infpicere folet, *fpeculativo* quodam judicio: vel prout ipfa verfatur in eo ftatu, in quo agit, practico judicio, quod fcilicet proxime actionem ipfam praecedit. Fieri autem folet, ut res generaliter infpectae bonae judicentur: non

item

item vero, si ad cupiditates, ad praejudicia, ad praesentis conditionis statum referantur.

§. III.

De Criterio Veritatis.

CHaracter ille, quo vera a falsis dijudicantur, *Criterium* appellatur. Id autem in *Evidentia* constituitur. Eaque triplex est *metaphysica*, *physica*, & *moralis*.

Prima obtinet in scientiis purae intellectionis; estque summa illa perspicuitas, qua attributum subjecto convenire aut repugnare percipitur. Duplex porro est, vel *simplicis intuitionis*, vel *demonstrationis*. Illa habetur, cum idearum convenientia aut repugnantia primo Mentis intuitu deprehenditur: haec autem, cum a certis principiis necessaria illatione deducitur. Primi generis sunt axiomata, alterius theoremata apud Mathematicos.

Altera versatur in iis, quae sensibus percipiuntur; eaque proficiscitur ex constanti & manifesto sensuum testimonio. Ejusmodi sunt pleraeque naturae leges, quas ope sensuum constanter omnes percipimus.

Tertia tandem locum habet in iis, quae ex historia discimus; eaque repetitur ex constanti & publico hominum testimonio. Ejusmodi sunt pleraque historica monumenta.

Propositio. *Adest nobis veritatis Criterium, illudque in Evidentia situm est.*

Demonstr. pars prima I. Suae providentiae debet Deus, ut hominem auxiliis instruat,

 qui-

quibus assequatur id, ad quod propriae naturae conditione agitur. Atqui veritatis inquirendae studium natura ipsa nobis ingenuit. Ergo.

II. Si adipiscendae veritatis artem homini denegavit Deus, vel impotens, vel crudelis esset. Vtrumque ab ipsius praestantia ac bonitate alienum est. Ergo.

Demonstr. pars altera. I. Criterium veritatis est, quo verum a falso discernitur. Discernitur autem per Evidentiam. Ergo. Prob. min. Verum a falso id discriminat, quod verum ita Menti objicit, ut illud verum non esse sibi persuadere nequeat. Atqui cum mutuam idearum relationem perspicue percipimus, huic perceptioni omnino adquiescamus oportet. Ergo.

II. Veritatis amore incendimur. Atqui si Evidentia veri criterium non esset, ad falsitatem duceremur Id autem repugnat. Ergo. Prob. min. Evidentibus natura cedimus. Si ea igitur vera non essent, falsis natura ducente assentiremur.

§. IV.

Confutatur Scepticismus.

SCeptici nuncupantur, qui sola rerum perceptione contenti nihil decernunt: ea propter nihil veritati relinqui, deque omnibus dubitandum esse dicunt. Ipsorum argumenta in tres classes dispesci possunt: 1. nullum esse veri criterium: 2. Evidentiam falsitati esse

se obnoxiam : 3. nihil prorsus cognosci . Ea igitur refutanda sunt.

Objic. I. Ut vera a falsis internoscantur, criterio opus est. Ut autem criterium comparetur, verum a falso criterio discernere oportet. Ergo criterii aliud criterium, atque hujus aliud praeterea, atque ita deinceps usque in infinitum investigandum erit. Repugnat autem progressio in infinitum. Ergo.

Resp. neg. min. Prima regula alia non indiget; neque ea per longas ratiocinationes extundenda est. Evidentia enim ita sese nobis offert, ut eam certam veritatis comitem esse agnoscamus.

Objic. II. Criterium quod vulgo statuitur, veritatem non praesefert. Ergo. Et 1. de Evidentia morali. Testimonium hominum qui decipiuntur, ac decipiunt, ut veritatis criterium statui nequit. Atqui tum profana, tum Ecclesiastica historia historicos deceptos esse, atque aniles fabellas extrusisse aperte suadet. Ergo.

Resp. dist. maj. Criterium veritatis non est testimonium eorum, qui reapse decepti sunt vel alios deceperunt, conc. qui licet possunt decipi, aut decipere, neque tamen deceptos aut decepisse constat, nego. Nimirum his dotibus ornentur oportet historici, quorum testimonio fides adjungitur, tum ut ipsi decepti non sint, tum ut alios decipere noluerint. Id autem certo constare nobis potest.

Et 1. quod historicus non fuerit deceptus: 1. Si ea testetur, quae suis subjecta sensibus fuere: 2. Si ea narret, quae a suis popula-ribus

ribus visa vel audita fuerint : 3. Si quae refert , sui vestigia & monumenta posteris animadvertenda reliquerint : 4. Si quae tradit , in publico hominum conspectu gesta sint : 5. Si ex publicis annalibus exscripserit ea , quae narrat . 6. Si nullo partium studio ductus ea perhibeat , quae illius animum afficere non poterant .

II. Quod autem decipere noluit ; 1. Cum ea narrat, in quibus si mentitus esset, publicas querelas & contumelias in se excepisset : 2. Cum nec sua nec suorum interest mentiri : 3 Cum narrat, quae sui suorumque popularium decus offendunt . 4. Cum non dissentit ab aliis historicis : 5. Cum ea, quae scribit, non abhorrent a suae aetatis & patriae moribus . 6. Cum loco , tempori, quo res evenisse narrantur, apte respondent.

Objic. III. Sensuum testimonium verum esse inde probatur , quod si nos fallerent, error omnis Deo esset tribuendus. Atqui argumentum hoc nimis probat. Ergo. Prob. Min. Colores, odores, sapores, ceterasque sensibiles corporum qualitates rebus ipsis inhaerere sensus nos docent . Id autem falsum est. Hujusmodi igitur error Deo tribuendus esset. Atqui id fraudi Deo non vertitur ; quippe qui persuasit duntaxat , ut ita nobis videri arbitraremur , non ut pro explorato haberemus , reapse corporibus inesse qualitates sensibiles . Quamvis igitur corpora nulla sint , erroris origo a Deo repetenda non est.

Resp. neg. consequ. Nulla quidem Deo fallacia adscribi potest , quod sensibiles qualitates

tes rebus ipsis inhaerere hominis existiment. Quo enim attentius illas inspicimus, eo clarius eas Mentis nostrae affectiones esse cognoscimus. Nobis igitur vitio vertendum est, si easdem, quae a nobis percipiuntur, corporibus qualitates inesse opinamur. Verum quo attentius corporum ad meos sensus appulsus inspicio, eo difficilius mihi persuadere possum, ut illa non exsistant, eaque non sint, nisi Mentis meae perceptio. Jure igitur fallacia Deo adscribenda esset, si sensuum testimonio ducti corpora, quae nusquam sint, reapse exsistere putaremus.

Objic. IV. Plura sunt, in quibus sensus nos decipiunt. Ergo.

Resp. dist. antec. Sensus nos decipiunt, si seorsum accipiantur, si regulae negligantur, si rationis ductu destituantur, conc. secus, nego. Ne igitur errandi occasionem nobis praebeant sensus, plura advertenda sunt. 1. Ut sensus sint integri. 2. ut eorum imbecillitas instrumentis adjuvetur. 3. ut intervallum inter objecta & sensus ipsorum potentiae respondeat. 4. ut aut plures sensus, si fieri potest, adhibeantur, aut iterum ac tertio eidem sensui res subjiciatur. 5. In judicio eorum, quae sensibus percipiuntur, celeritas omnino vitetur.

Instant: Atqui non ex regulis neglectis, sed ex ipsis sensibus erroris origo repetenda est. Ergo. Sensus ita conformati sunt ut veras corporum proprietates minime nobis exhibeant. Ergo.

Resp. dist. antec. Corporum proprietates *absolutas* ope sensuum non cognoscimus, conc. re-

relativas, nego. Incomperta quidem nobis est physica & absoluta corporum magnitudo, durities &c. haec enim *relative*, h. e. prout sensibus nostris apparent, cognoscimus. Fallaces autem propterea sensus non sunt; ideo enim attributi nobis sunt, ut ipsorum ope assequeremur, quam cum nostro corpore externae res relationem habent.

Objic. V. Si Evidentia veritatis norma esset, ea nunquam ad errorem duceret. Atqui ea duce plerique errant. Ergo.

Resp. dist. min. Errant ducti Evidentia *falsâ* sive *putata*, conc. *vera*, nego. Qui errores tuentur, ab evidentia duci sibi videntur, licet nulla adsit evidentia. Distinguitur autem vera a falsa evidentia; haec enim ita Mentem afficit, ut ipsa assensum cohibere possit; illa vero assensum omnino extorqueat. Illius igitur character est *invincibilitas*, h.e. *resistendi impotentia*, quae Mentis praejudicia & cupiditates antecedat.

Objic. VII. Deus potest omnia. Praestare igitur poterit, ut fallar etiam in iis, quae evidenter percipio. Ergo nihil certi percipitur.

Resp. neg. consequ. Perspicua enim atque evidens falsi notio nulla est. Falsum enim idem est, ac quod neque est, neque *essendi* rationem habere potest. Nihilo autem nulla directe respondet notio. Ita cum teneam quid totum, quid pars sit, nunquam evidenter percipiam, partem toto esse majorem.

Objic. VII. Nihil certi perciperetur, si attributi cum subjecto convenientia vel repugnan-

gnantia deprehendi non posset. Atqui id assequi non licet. Ergo. Prob. Minor Attributum subjecto convenire aut repugnare deprehenditur, cum hujus essentia comperta est. Incomperta autem est rerum omnium essentia Ergo.

Resp neg. major. Intelligere enim datur rei alicui attributum convenire aut repugnare, siquidem illius nonnullas proprietates cognitas habeamus. Nam si cum notis rei proprietatibus attributum componi posse, aut pugnare deprehendimus; inde colligimus rei ipsi illud convenire aut repugnare. Valet enim axioma; *idem subjectum proprietates secum pugnantes complecti nequit*.

§. V.

De prima Veritate cognita.

UT quod primum nobis innotescit deprehendatur: definiendum antea, utrum singularia an universalia prius cognoscantur; tum cujusmodi sint primae cognitiones.

Propositio I. *Singularia prius cognoscuntur*.

Prob. I. Omnis nostra cognitio e sensu tum intimo tum extimo proficiscitur: ut suo loco docebitur. Atqui singularia duplici huic sensui subjiciuntur. Ergo. Prob. Minor: Sensui subjiciuntur, quae reapse exsistunt. Universalia autem non exsistunt, exsistunt singularia. Ergo.

Prob. II. Ea primum cognosci nequeunt, quae

quae ex aliorum cognitione oriuntur. Sed universalium cognitio e singularibus proficiscitur. Ergo.

PROPOSITIO II. *Per characteres communes res prius cognoscuntur.*

Prob. Ii characteres primos sese nobis offerunt, qui magis in rebus affulgent. Atqui ejusmodi sunt characteres cum aliis rebus communes. Ergo. Proprietates quidem communes in re quapiam veluti magis extant, quam privatae; eaeque primum sensus afficiunt. Prius enim rem esse, ad hoc vel illud genus pertinere, in hac vel illa specie comprehendi, quam certam quamdam rem esse certis quibusdam proprietatibus a ceteris distinctam cognoscimus. Nimirum primae rerum cognitiones obscurae sunt.

PROPOSITIO III. *Se ipsam exsistere Mens prius cognoscit.*

Prob. I. Illud primum omnium cognoscimus, quod nobis magis intime adhaeret. Nihil autem Menti magis intimum est, quam ipsa sibi. Ergo.

Prob. II. Principem locum obtinet ea cognitio, sine qua ceterae nullae sunt. Atqui nisi prius se exsistere Mens novit, se aliquid percipere sibi persuadere nequit. Ergo.

CAPUT II.

De Ente, ejusque formis.

Latinis *Ens* dicitur *quod est*; huic *Nihil* opponitur, *quod* nimirum *non est*. Primum

mum valet notione positiva, alterum negativa. Nihil igitur nullam *directe* notionem habet, *indirecte* autem ens, quod negat, exprimit.

§. I.

De Essentia atque Exsistentia.

ESsentia definitur *id, per quod res est id, quod est*. Triplex autem distinguitur, *physica*, *logica*, *metaphysica*.

Prima est *id, per quod Ens certum quoddam ens constituitur*. Altera, *id per quod Ens tale concipitur*. Tertia demum est *id, quod primum in Ente concipitur*, proprietas nimirum illa, in qua ceterae comprehenduntur.

Rerum essentiae considerantur, vel prout in Mente Dei continentur, vel prout extra Deum exsistunt. Illae aeternae sunt atque immutabiles: hae vero factae ac mutationi obnoxiae.

Exsistentia *est id, per quod aliquid revera exsistit*. Est autem *possibilis*, vel *actualis*. Prima est illius Entis, quod sufficientem exsistentiae rationem habet. Altera est illius, quod extra sui caussam est.

Exsistentia vel est *a se*, sive *per essentiam*; vel *ab alio* sive *contingenter*. Unius Dei est a se exsistere; quippe ipsa illius essentia ratio est, ut exsistat. Cetera quaecunque, quippe a Deo condita, rationem, cur exsistant, in Deo, non in seipsis habent.

§. II.

§. II.

De Ente Rationis & Reali.

ENs *rationis*, sive *intelligibile* est, quod a Mente pendet, ut exsistat; cujusmodi sunt illius actus, affectiones, ideaeque factitiae. *Reale* vero, quod reapse exsistit.

§. III.

De Ente Possibili & Impossibili.

POssibile dicitur quod non est, sed esse potest. Ejusmodi autem est vel *intrinsecus* & *absolute*, vel *extrinsecus* & *relative*.

Primo sensu possibile dicitur, quod non repugnat; veluti *alter mundus*. Secundo sensu quod supernaturalis, vel naturalis caussae viribus effici potest.

Impossibile est illud, quod nequit exsistere. *Intrinsecus* quidem & *absolute*, si omnino repugnet, ut *mons sine valle*: *extrinsecus* vero & *relative*, quod caussae alicujus viribus non subjicitur: *moraliter* tandem, quod inspecta hominum indole nunquam usuvenit.

Quod est absolute impossibile, ejusmodi est relate etiam ad Deum. Quod enim repugnat idem est, ac nihil: entis nimirum rationer habere nequit. Atqui ea Deus praestare potest, quae in sui essentia complectitur: complectitur autem quidquid est, aut rationem entis habere potest. Ergo.

§. IV.

§. IV.

De Ente Necessario & Contingente.

NEcessarium est, *cujus oppositum est impossibile*. Multiplex est. 1. *Necessarium exsistentiae*, quod nimirum a se exsistit. 2. *necessarium essentiae*, cujus immutabilis est essentia. 3. *necessarium ad exsistentiam*, sine quod aliud exsistere nequit. 4. *necessarium ad essentiam*, quod sine essentiae jactura a re divelli nequit. 5. *necessarium hypothetice* sive *moraliter*, cujus oppositum hypothetice vel moraliter repugnat.

Ens autem contingens est illud, *quod ita est, ut possit non esse; vel ita non est ut possit esse:* quodcunque nimirum exsistit ab alio.

§. V.

De Substantia & Accidente.

Entis formae sunt Substantia & Accidens; de quibus supra in priori Logicae parte *Cap.* 1. *num.* IX.

CAPUT III.

De Attributis Entis.

§. I.

De Unitate.

ENs *unum* dicitur, h. e. *indivisum in se*, & *distinctum a quolibet*. Est autem unum vel *simplex*, quod partibus caret: vel *compositum*, quod iisdem conflatur. Partes vero aliae sunt *physicae*, aliae *mathematicae*, aliae *metaphysicae*, aliae *logicae*.

Partes physicae, quae reapse inter se distinctae totius essentiam constituunt; ut *Mens* & *corpus* in homine.

Partes mathematicae, quae ad totius integritatem pertinent; ut *crura*, *manus* in corpore humano.

Partes metaphysicae, quas veluti distinctas in Ente considerant Metaphysici, ut *essentia* & *existentia*.

Partes logicae, quas veluti distinctas logici in Ente inspiciunt, ut *genus* & *differentia*.

Cujusmodi sunt partes, ita est totum inde compositum: cui simplex adversatur, prout varii generis partes excludit.

Unitas vel est *numerica*, quae cujusque singularis entis propria est: vel *specifica*, quae ejusdem speciei entibus convenit.

§. II.

§. II.

De Individuo, Supposito, & Persona.

ENs dicitur *individuum*, quippe in plura talia, quale ipsum est, dividi nequit. At naturae individuum substantiam designat non modo singularem, sed quae *sui juris sit*, *atque integrum principium suarum actionum*. Quae sane substantia *suppositum* appellatur, si ratione non utitur: *Persona* vero, si rationis est particeps. Hinc a Boëtio definitur Persona, *naturae rationalis individua substantia.*

§. III.

De Identitate & Distinctione.

IDentitas est relatio Entis ad ipsum non mutatum, quamvis locus vel tempus commutetur.

Varia tamen notione accipitur. Nam 1. *idem* aeque valet, ac perseverare in exsistendo. 2. *Idem* dicitur illud, quod nullam suae conditionis subiit vicissitudinem. 3. *Idem* nonnunquam *specie* est, non *numero*.

Distinctio alia est *realis*, alia *rationis*. Illa est in re ante omnem Mentis conceptum; quemadmodum Sol a Luna, Mens a corpore humano distinguitur: haec vero per Mentis conceptum excogitatur in iis, quae revera non distinguuntur.

Distinctio rationis alia dicitur *rationis ratio-*

tiocinatae, alia *rationis ratiocinantis*. Primam admittimus, cum in re plura distinguimus, vel ob illius virtutem *eminenter* multiplicem, vel ob varios, quos praestat, effectus. Veluti cum in uno eodemque frumento *seminis*, *fructus*, *alimentique* rationes distinguimus. Haec autem licet tota sit penes intellectum, in re tamen *fundamentum habet*, quippe quae pluribus aequivalet.

Altera utimur, cum solo ducti arbitrio *sine aliquo fundamento* plura in re distinguimus: veluti cum subjecti & praedicati rationes in re aliqua distinguimus.

§. IV.

De Veritate & Bonitate.

Veritas triplex est, *logica*, *moralis*, & *metaphysica*. Prima sita est in idearum convenientia cum objectis: altera in signorum externorum convenientia cum animi notionibus: tertia in rerum convenientia cum eorum exemplari, sive idea divina.

Hanc ultimi generis veritatem *entitativam* etiam ac *naturalem* appellant. Singulae enim res, utpote summa Dei sapientia conditae, ideae divinae respondent.

Bonitas alia est *absoluta*, alia *relativa*. Illa consistit in *perfectione*; haec in *apto* & *convenienti*. Perfectum autem illud est, quod in suo genere expletum & cumulatum est. Aptum vero & conveniens, quod ad usum quemdam sive commodum refertur.

Ita Deus cum perfectissimus sit, absolute bonus est, ac bonitatem omnem in se complectitur. Quia autem absolute bonus, tum sibi, tum creatis rebus relative bonus est; sibi quidem, quia in se uno beatissimus: ceteris vero, quia eas condidit, & conservat, atque intelligentibus creaturis beatificus finis est.

Ita etiam res creatae suo sensu bonae sunt tum absolute, tum relative. Absolute quidem, cum iis omnibus proprietatibus exornentur, quae ad earum essentiam constituendam necessariae sunt. Relative autem, cum aliae aliis usui sint, atque emolumento.

§. V.

De Duratione.

Duratio dicitur *continuata Entis exsistentia*. Illius duae sunt species *Aeternitas* ac *Tempus*.

Aeternitas proprio sensu accepta est *interminabilis vitae tota simul & perfecta possessio*. Nimirum Dei exsistentia, qui initio ac fine carens vitae plenitudinem nulla successione possidet.

Tempus vero est duratio initio ac fine conclusa, quae praeteriti ac futuri successionem habet.

Tria igitur Aeternitatem a tempore discriminant. 1. Aeternitas propria est Entis necessarii; tempus contingentis: 2. Aeternitas initii ac finis nescia est; tempus utrumque admit-

mittit : 3. Aeternitas tota simul est absque successione ; tempus prioris ac posterioris intervallis distinguitur.

Quaeritur, num in Aeternitate admitti possit successio Quod ut definiatur, triplex Successionis distinguenda est notio : *physica* nimirum, *metaphysica*, ac *logica*. Prima quae variis intervallis sese excipientibus distinguitur. Altera, quae licet in spatia ac momenta non dividatur, utcumque tamen dividi potest Tertia, quae licet reipsa nulla sit, Mentis tamen conceptu excogitatur.

De logica quidem lis nulla institui potest; haec enim penes Mentem est, atque extrinsecus se habet ad Aeternitatem. Physica vero ac metaphysica plurimum abhorret ab Aeternitate.

Et quod ad physicam attinet. 1. In infinito nullae sunt partes : atqui Aeternitas est infinita duratio. Ergo. 2. Ubi nulla mutatio, ibi nulla successio. Aeternitas autem Dei immutabilis propria est. Ergo.

Quod autem ad metaphysicam spectat : Mensura refertur ad partes, quas metiri licet : Nullae autem in Aeternitate partes. Nullo igitur pacto Aeternitatem dimetiri licet.

§. VI.

De Finito & Infinito.

FIniti atque Infiniti voces *Grammatico* sensu acceptae, prima quod fines habet, altera quod fines excludit, significant. Hinc pri-

prima positivam, altera negativam notionem praesefert.

At si *Philosophicus* sensus inspiciatur, infinitum valet *perfectissimum*; finitum quod a summa perfectione descifcit. Quae quidem infiniti notio fluit ex natura Entis necessarii, cui vox illa propria est, ac peculiaris.

Philosophico igitur sensu inspecto, notio Infiniti est positiva, Finiti vero negativa. Quod enim absolutissimum est, atque *essendi* plenitudinem complectitur, notione valet positiva: quod autem imperfectum est, & constitutos limites transilire nequit, illius notio negativa est. Atqui vocum Infiniti & Finiti haec est potestas Philosophica. Ergo.

Jam vero quaeritur, num Grammatico sensu accepta infinitas extensioni, ac numero conveniat, an vero repugnet. Heic autem distinctione opus est. Nam si infinitatem *relate* ad Mentem nostram inspiciamus, nulli certi limites nobis occurrent, quos ultra extensionem aut numerum progredi non posse concipere datur. Sin *absolute* infinitas accipiatur, tum extensioni tum numero repugnat.

Nam 1. extensio est partium continuatio: Ubi autem sunt partes, ibi extremi earumdem fines. Ergo. 2 Numerus non est, nisi rerum multitudo, quarum singulae finitae sunt. Limitata igitur est multitudo.

CAPUT IV.

De Caussis.

CAussam vulgo definiunt *quod influit esse in aliud*. Multiplex distinguitur, *efficiens*, *materialis*, *formalis*, *finalis*, atque *exemplaris*.

Efficiens caussa est, quae virtute sua effectum producit: ut artifex statuam.

Materialis, unde effectus educitur, veluti metallum, quo statua conflatur.

Formalis, quae formam rei tribuit; quae scilicet rem definit, ut talis sit.

Finalis, cujus amore & gratia caussa efficiens aliquid producit: ut gloria, quam artifex in elaboranda statua intendit.

Exemplaris tandem caussa dicitur id, quod sibi ad imitandum proponit caussa efficiens: veluti imago Caesaris, quam intuetur artifex in statua perficienda.

Jam porro Caussa efficiens 1. vel est *prima*, quae nulli subjecta sua virtute agit, cujusmodi est Deus: vel est *secunda*, quae a prima pendet, atque ab illa mutuatur virtutem, ut sunt res creatae.

2. *Principalis*, quae ita effectum producit, ut in ipsa sit ratio, cur ille exsistat: vel *instrumentalis*, quae principali inservit.

3. *Adaequata*, a qua sola effectus producitur: vel *inadaequata*, quae cum aliis praestat effectum.

4. *Physica*, quae vera actione effectum producit: vel *moralis*, quae utcunque occasionem

nem affert, ut effectus producatur.

5. *Libera*, quae ita agit, ut veram ad oppositum potestatem habeat: vel *necessaria*, quae naturae, vel alterius caussae antecedenti necessitate ad agendum ita determiatur, ut ab actu abstinere nequeat.

ME-

METAPHYSICAE PARS II.

PSYCHOLOGIA.

CAPUT I.

De Humanae Mentis natura.

NUperi Philosophiae corruptores *simplicitatis* ideam novitatis accusant : ac veteres animi naturam nonnisi corpoream agnovisse dictitant , ut qui illum *aëris* , *venti* , *halitus* nominibus designarunt .

Verum impudentissime mentiuntur. Ut enim ex historicis monumentis liquet , naturas a materia sejunctas veteribus innotuisse compertum est.

Illud duntaxat animadvertendum est, veteres nimirum plerosque imperfectam & confusam humanae Mentis notionem habuisse . Imaginationis enim fallaciis decepti aëris ignisque viribus animi energias compararunt.

At non defuerunt inter ipsos , qui humanae Mentis simplicitatem profligarunt ; quos inter eminent Epicurus, Aristoxenus, ac Dicaearchus. Epicurus quidem animum ex laevibus atomis confectum docuit . Aristoxenus ipsius corporis intentionem quamdam velut in fidibus animum esse dixit . Dicaearchus tandem nihil omnino esse animum tradidit, ac vim

vim illam, qua agimus vel sentimus, a corpore separabilem non esse duxit; quippe quae non est nisi corpus ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat ac sentiat.

Ex horum fonte biberunt, qui nuper sinceram Philosophiam adulterarunt, ac praesertim Thomas Hobbesius, Helvetius, Meriannus, sive Auctor *Systematis naturae*, ceterique auctores libellorum, quibus praesens saeculum inundatur. Eorum errores, cum objectionibus fiet satis, & recensebimus, & redarguemus.

Neque omittendus Joannes Lockius, qui humanam Mentem quamvis simplicem fateatur, materiam tamen a Deo ita temperari posse docet, ut cogitandi vi polleat.

Jam porro Mentis nomine intelligimus id quod in nobis cogitat, ac sui suarumque cogitationum conscium est. Corpus vero sive materiam dicimus substantiam extensam, divisibilem, solidam, mobilem, atque inertem. *Extensa* nimirum; quippe partium continuatione componitur: *divisibilis*, ut quae in partes dividi potest: *solida*, quod alteri resistat, ne eumdem locum occupet: *mobilis*, quod apta est, ut plura loca per successionem perlustret: *iners* tandem, quia suapte natura in eodem statu semper perseverat.

PROPOSITIO I. *Quod in nobis cogitat, non est corpus ipsum.*

Demonstratur I. Si Corpus cogitaret, cogitatio vel ex aliqua illius parte, vel ex partibus universis oriretur. Atqui neque singulae, neque universae partes cogitare valent. Ergo.

Prob.

Prob. Minor. Singulae partes a ceterarum communione sejunctae ineptae sunt ad ciendum sensum. Ergo potiori jure ad cogitandum. Antecedentis veritas constat. Si enim cerebrum inter, ac nervos, & organa sensoria communicatio abrumpitur, nulla in nobis cieri potest sensatio.

Idque adeo verum est, ut ipsi Materialistae nobiscum in eo consentiant. Ipsi enim cogitationem repetunt ex corporis temperatione, h. e. ex partibus omnibus inter se aptis & sociatis. Ut igitur pars altera Minoris demonstretur, expendendum prius est, num composito ex vi compositionis proprietas accedere possit, qua partes carent singillatim sumtae.

Duplex genus proprietatis in compositum derivari potest. 1. Totius compositi ordo ac symmetria, qua carent partes singillatim acceptae. 2. productio effectus alicujus, qui ex partium viribus in unum conspirantibus proficiscitur.

Prima quidem proprietas ex compositione proficiscitur; quippe partes seorsum positae nihil symmetricum edunt. At hujusmodi proprietas non est nisi modus, quo compositum a nobis inspicitur; symmetria enim ad intelligentiam nostram refertur, quae partium ordinem & consensum intuetur. Altera vero proprietas oritur ex compositione, quippe quae partium vires dirigit, ac temperat: at novas vires illa non creat. Nimirum partes singillatim sumtae effectum illum parere non possent, at viribus per compositionem conjunctis ac tem-

temperatis illum producunt.

His positis: Si corporis partes cogitant, aut ex simplici earum compositione, aut ex earumdem virium conjunctione proficiscitur cogitatio. Atqui neutrum dici potest. Ergo.

Prob. prima pars. Nihil est sine ratione sufficiente: esset autem cogitatio sine ratione, si partes non cogitantes certo quodam ordine conjunctae cogitarent. Ergo. Sola enim partium conjunctio symmetriam duntaxat, nullum praeterea effectum parit.

Prob. pars altera. 1. Compositio novas vires non creat, sed vires, quibus praeditae sunt partes, cogit in unum. Atqui humani corporis partes cogitandi vi destituuntur. Ergo.

2. Vires partium humani corporis in unum coëunt, cum motu agitatae aliae alias pellunt, ac pelluntur. Si igitur cogitationem ex virium conjunctione efficere possent, mutuo motu eam producerent. Ergo cogitatio motus esset. Atqui motus situm, cursum, & positionem partium exhibet, praeterea nihil. Situs autem, cursus, & positio non est cogitatio. Ergo.

Demonstratur II. Sensationes per organa sensuum haustas comparare, ac de iis me judicare persentisco. Atqui quod de singulis sensationibus judicat, a sensibus ipsis, h. e. a corporis partibus distinctum sit oportet. Ergo. Singuli quidem sensus res, quae in alios incurrunt, excipere nequeunt. Ergo neque de iis judicare possunt.

Objicies. Impressiones in sensuum organis excitae omnes ad cerebrum devehuntur. Cere-

re-

rebrum igitur excipit sensationes omnes, ac de iisdem judicat.

Resp. nego consequ. In sensatione quatuor distinguere licet, 1. rem exterius objectam, 2. hujus appulsum ad organa sensuum, ibique excitatum motum, 3. hujusce motus usque ad cerebrum diffusionem, 4. rei objectae sensationem, sive perceptionem. Esto, cerebrum sentiat; rei igitur objectae perceptio in nobis esset, quoties motio sensibus impressa ad cerebrum usque diffunderetur. Atqui si alio intenti sumus, nulla cietur sensatio. Ergo est aliquid a cerebro distinctum, quod nisi attendat & adsit, nullus erit sensus, nulla perceptio.

Propositio II. *Mens humana est substantia a corpore diversa.*

Demonstr. I. Proprietates secum pugnantes eadem substantia complecti nequit. Atqui corporis proprietates Mentis proprietatibus adversantur. Ergo.

1. Mens judicat: judicium autem pugnat cum soliditate, quae est corporis proprietas. Judicium enim fit ex duarum idearum ibidem simul praesentium comparatione. Atqui in materia ideae essent duae illius partes utcunque modificatae, quae in unum coirent: coëuntes autem, alteram altera penetraret; secus enim nulla esset comparatio, sed duarum idearum praesentia. Ergo judicium pugnat cum soliditate.

2. Mens ratiocinatur: ratiocinatio autem tria complectitur judicia. Atqui judicium adversatur soliditati. Ergo etiam ratiocinium.

2. Mens

3. Mens suarum actionum conscia est: Conscientia autem adversatur extensioni. Materia enim partibus componitur: singulae autem partes suarum duntaxat actionum consciae essent, non vero omnes omnium. Atqui omnium actionum Mens est conscia Ergo.

4. Mens in seipsam reflexa suos actus expendit. Atqui reflexio repugnat corpori. Partes enim corporis in alias partes reflecti possunt: at totum corpus in totum seipsum reflecti nullo modo potest. Ergo.

5. Mens percipit. Atqui nihil cum corpore commune habet perceptio. Si enim haec corporis proprietas esset, ea cognosci non posset, nisi ad corpus attenderetur. Atqui perceptio cognoscitur, quamvis corpus non cognoscatur: imo quamvis nullum exsistere corpus concipiatur: Ergo.

6. Mens sentit, atque ita sentit, ut unum in me sentire experiar. Atqui sensus repugnat extensioni: Si enim corpus sentiret, totidem sentirent, quot illud partibus componitur. Ergo.

7. Mens cogitat: cogitat autem vi interiori ac sua, atque ex alio ad alium actum prosilit. Atqui hujusmodi activitas pugnat cum inertia. Est autem materia iners, & in eodem statu semper perseverat. Ergo.

Demonstr. II. Cogitatio actus est simplex, atque idem *intimus* & *immanens*, qui sc. in ipsa re fit, quae cogitat. Atqui actus intimus simplex simplicem postulat substantiam. Simplex igitur est humana Mens.

Prob. Minor: Actus intimus in re exten-

sa

sa aut multiplex , aut partitus sit oportet . Nam aut singulae partes actum edunt ; totidem propterea erunt actus, quot partes . Aut singulae partem actus duntaxat efficiunt ; actus igitur per universas partes dispersus dividuus erit . Non igitur simplex . Ergo.

Objic. I. Humana Mens simplex propterea adseritur, quod cogitatio materiae repugnat . Atqui non adversatur . Ergo . Ea proprietas materiae adversatur , quae illius soliditatem atque extensionem destruit : cogitatio autem corpori adjuncta nihil hujusmodi proprietatibus officit . Quemadmodum enim cogitatio excedit conditionem materiae, eamdem superant vegetatio, ac sensus : Sensus autem ac vegetatio materiae proprietates non subvertunt in brutis ac plantis . Ergo.

Resp. negando comparationem. Nihil enim ad rem faciunt, quae de sensu, ac vegetatione adducuntur . Vegetatio enim materiae propria est, ac peculiaris . Nam haec oritur ex certa quadam plantarum fabricatione, & succi perenni circuitione ; tota igitur absolvitur motu ac partium dilatatione. De sensu in brutis mox disputabitur.

Objic. II. Propterea cogitandi vim materiae a Deo tribui non posse statuitur , quod assequi non possumus, quo pacto materia cogitat . Atqui absurdus est , qui ea Deum praestare posse negat, quae nostram superant intelligentiam . Ergo.

Resp. Major propositio falso supposito laborat. Materiae enim repugnare cogitationem adserimus propterea, quod illius proprietates

cum

cum cogitatione valde pugnare evidenter percipimus. Ducti igitur eo axiomate, quod idem subjectum complecti nequeat proprietates secum pugnantes, id ne a Deo quidem fieri posse tuemur.

Objic. III. Substantia cogitans ab extensa distinguitur, quia nulla cogitationem inter atque extensionem analogia intercedit. Atqui nullam secum habent analogiam cogitatio, ac sensatio. Ergo distinguenda est substantia cogitans a sentiente. Atqui non distinguitur a sentiente cogitans substantia. Ergo neque extensa a cogitante.

Resp. 1. dist. min. Nulla sensationem inter & cogitationem versatur analogia, si utriusque facultatis objecta comparentur, concedo; si actus, nego. Nihil profecto commune habet justi injustique notio, cum luce, odore &c. At injusti cogitatio Mentis est attentio ad injusti ideam, quam sibi praesentem sistit; coloris autem sensatio, ejusdem est Mentis attentio ad motum a luce in nervis opticis, cerebroque excitum.

Resp. 2. neg. consequ. Esto, nulla sit inter objecta proportio. Haud propterea diversae erunt substantiae, ad quarum facultates illa pertinent. Nulla quidem inter odorem ac sonum adest proportio. Atqui olfacere atque audire diversae sunt rationes ejusdem sentiendi facultatis.

Resp. 3. nego suppositum. Non ex defectu analogiae cogitationem inter atque extensionem colligitur substantiae cogitantis ab extensa distinctio: sed ex vi *antilogiae*, h. e.

repugnantiae illa deducitur.

Objic. IV. Cognitionum omnium origo a sentiendi principio est repetenda. Atqui hoc principium est corporeum. Ergo. Cognitiones aliae aliis succedunt; perennes igitur subit vicissitudines principium illud, in quo versantur. Simplex autem substantia mutari nequit. Ergo.

Resp. 1. neg. major. Universa enim cognitio ad res duntaxat, quae in sensus incurrunt, hîc ab Hobbesio revocatur. Atqui plura cognoscimus, quae in sensus non cadunt. Ergo sentiendi principium quale statuit Hobbesius, non est illud, unde homo cogitat.

Resp. 2. neg. min. subsumtam. Simplex quidem substantia eas mutationes respuit, quae ex partium varia temperatione proficiscuntur. At eas subit, quae ex variis cognitionibus ac sensationibus oriuntur. Sentiens profecto & cogitans substantia versatilis sit oportet;

Objic. V. Spiritualis substantiae nulla datur idea. Mens ergo spiritualis esse nequit. Spiritus definitur substantia indivisibilis, inextensa, invisibilis, sensibus impervia. Atqui id est negatio rerum omnium, quas cognoscimus, h. e. idearum omnium absentia. Ergo.

Resp. 1. dist. antec. Si ideae nomine sensibilem imaginem accipias, concedo: si notionem puram, nego. Nullo pacto fieri potest, ut veluti depictum exprimam, quod colore, ceterisque sensibilibus qualitatibus destituitur. At intelligentia assequi possum ens cogitans, quod partibus non constat. Plura enim reapse concipimus, quorum speciem imaginatione assequi nequimus.

Resp.

Resp. 2. neg. major. Falsum est spiritum designari per negationem eorum, quae cognoscimus. Ens enim quod cogitat positivam ideam praesefert. De Mente ea negamus, quae cum notis illius proprietatibus repugnare deprehendimus.

Objic. VI. Mens agit in corpus, illudque movet. Sed concipi nequit, quo pacto quod extensum non est in extensum agat. Ergo.

Resp. per instantiam, ut ajunt. Intelligi nequit, quo pacto corpus in aliud agat, illudque moveat. Ergo corpus in corpus non agit. Quid hîc Meriannus? Nempe sensibus percipi ait, quod corpus in aliud agat. Atqui interiori sensu corpus a Mente moveri persentisco. Hujus actionis rationem non teneo: at de actione ipsa dubitare non licet.

Objic. VII. Iisdem affectionibus, quibus subjicitur corpus, & Mens afficitur. Ejusdem igitur sunt naturae.

Resp. dist. antec. Mentis corporisque affectiones sibi mutuo respondent, concedo; utraque substantia easdem omnino subit affectiones, nego. Conjunctio quidem Mentis cum corpore in eo versatur, ut certis Mentis cogitationibus certae respondeant corporis affectiones, & vicissim: ut suo loco docebitur. At isthaec consensio non postulat, ut in eadem natura Mens & corpus conveniant. Si enim convenirent, hujusmodi reciprocae affectiones, sive modificationes mechanicis regulis subjicerentur. Atqui ex hisce regulis explicari nequeunt. Ergo. Finge aliquem conviciis lacessi, statim perturbatae quidem in

illius corpore motiones excitantur. Contumeliae quidem vox cerebrum concussit eadem ratione, qua ceterae voces illud afficiunt, at illae hujusmodi motiones non efficiunt. Efficerent autem si corporis Mentisque affectiones mechanicis legibus subjicerentur; eadem enim caussa eumdem praestat effectum.

Objic. VIII. Bruta animantia utcunque cogitant. Atqui incertum est, corporeum ne, an spirituale sit principium, quod in illis cogitat. Ergo ex cogitatione Mentis simplicitas erui nequit.

Resp. neg. minor. Quae de brutorum anima obtinent Philosophorum opiniones, tres sunt. Aristotelici sensitivam animam, corpoream tamen, brutis tribuunt. Cartesiani puras esse machinas sensu vacuas bruta opinantur. Ceteri vero brutorum animas incorporeas esse tuentur. Atqui quodcunque statuatur, nihil Mentis humanae simplicitati officere potest. Nam 1. Aristotelici adserunt brutorum cognitionem materialem esse, eamque corporea duntaxat, concreta, & singularia attingere. Corpoream propterea ipsorum animam esse dictitant. At Mens humana incorporea, abstracta, atque universalia intelligit; spiritualis propterea est, ac simplex. 2. Cartesianorum opinio nihil humanae Menti adversatur; ipsorum enim sententia nihil bruta cum hominibus commune habent. 3. Qui tandem bruta incorporeis animis donant, humanae Mentis simplicitati maximopere velificantur. Incorpoream enim animam iis adtribuunt, quia ea sentire, & utcunque percipere deprehendunt.

Quae-

Quaeres quid de brutorum natura verisimilius statui possit?

Resp. Nihil hac de re definiri potest. Recensitae enim sententiae suis singulae laborant difficultatibus. Nonnulla igitur breviter adnotanda:

I. Bruta sentiunt, resque corporeas percipiunt. Id suadet experientia, atque analogia, quae inter nostras, eorumque versatur actiones.

II. Ea nequeunt esse automata, quae ex vi structurae moveantur. Nam 1. quod Deus hujusmodi automata efficere possit, non sequitur reapse effecisse. 2. Motiones spontaneae nullae sunt in automatis: at hae in brutis obtinent. 3. Motus in brutis a rerum externarum effluviis determinari nequit; tanti enim illa non sunt, ut tot tamque diversas motiones producant.

III. Peripateticorum sententia humanae Mentis simplicitati detrimentum adfert. Illud enim discriminis interest eorum sententia inter Mentis ac brutorum perceptionem, quod una spirituale, altera materiale objectum attingat. Atqui perceptionis subjectum materiae expers esse oportet, ut humanae Mentis simplicitas adstruatur.

Quod autem appellant *materialem* brutorum cognitionem, eo sensu accipiendum est, quod ea *objective* ejusmodi sit, non autem *subjective*. Secus enim humanae Mentis perceptiones, quae circa res corporeas versantur, e corporeo subjecto proficisci possent.

IV. Quamobrem si brutis sensus, ac quaedam

dam cognitio inesse statuatur, ea incorporeo principio praedita erunt.

V. Haec tamen brutorum anima longo intervallo distat ab humanae Mentis conditione. Nam 1. bruta res duntaxat corporeas attingunt, atque iis tantum intendunt, quae ad vitae conservationem pertinent. 2. Praesentia tantum sentiunt, neque longinqua aut futura prospiciunt. 3. Singula in singulis, quas unice obeunt actiones, tota occupantur. 4. De rebus ipsis corporeis nullo pacto ratiocinantur.

VI. At enim brutorum animae finem ne habiturae sunt, an perennes vivunt? Si perennes, quid de ipsis fiet? Sin intereunt; incerta erit humanae Mentis immortalitas.

Utrumvis admittes, nihil sequetur incommodi. Nam 1. bruta libertate carent, legem propositam non habent, ad supernaturalem finem non ordinantur. Si gaudent igitur anima corpori superstite; ea neque caelo, neque inferis destinabitur. 2. Si ipsorum animae pereant; non erit propterea incerta Mentis immortalitas. Neque enim ex incorporea ipsius natura illa proficiscitur, sed ex Dei bonitate, sapientia, beatitudinis voto, ut mox dicetur.

CAPUT II.

De Humanae Mentis immortalitate.

TRiplex est immortalitatis notio. 1. Quod partium secretione interire nequit, immortale dicitur; quo sensu idem est, ac *incorruptibile*.

2. Quod

2. Quod iis mutationibus, quibus suas facultates amittat, nunquam subjicitur, immortale etiam dici potest.

3. Quod nunquam in nihilum redigetur, immortale, & quidem proprio sensu, appellatur.

Tria autem haec non ita juncta sunt inter se, ut aliud ex alio proficiscatur. Nimirum quod Mens sit incorruptibilis, haud propterea immortalis erit altero aut tertio sensu. Singillatim igitur triplici hoc sensu humanae Mentis immortalitas vindicanda est.

PROPOS. I. *Humana Mens corruptioni non est obnoxia.*

Prob. Corruptio est partium secretio: Atqui nullas admixtas partes Mens habet ex ostensis. Ergo.

PROPOS. II. *Humana Mens a Corpore sejuncta vivit & cogitat.*

Prob. Mens a corpore sejuncta vivere & cogitare nequiret, si ipsius vita & cogitatio a corpore penderet. Atqui non pendet. Ergo.

Prob. Minor: Mentis vita est interior efficacitas & vis ex seipsa sese movendi. Atqui haec vitalis actio a corpore non pendet, quin imo facilius a Mente exseritur, cum a corpore dissociata fuerit. Ergo.

Nam 1. cum aliquid sublime contemplamur, animum in seipsum colligimus, & quoad ejus fieri potest a corporis sensibus abducimus.

2. Eo aliquid melius intelligimus, quo magis intentionem mentis a corporis sensibus avocavimus.

3. Nonnunquam in re aliqua ita toti occu-

pamur, ut a corporis consuetudine Mens aversa externas res ad sensus offendentes non sentiat.

Atqui haec omnia evenire non possent, si ex corporis consortio suam vitam, ac cogitationem Mens hauriret. Ergo.

Objicitur I. Mens humana pendet a corpore, ut cogitet. Ergo cogitandi vi destituetur ab eo sejuncta. Prob. Antecedens. Plura in corpore exsistunt, unde Mentis cogitatio varie afficitur. Ex. gr. Puerorum organa imbecilla atque imperfecta sunt? imperfectae, imo nullae sunt ipsorum cogitationes. Senum corpus languore conficitur? ipsorum etiam cogitationes veluti torpescunt. Phrenesi, insania, ebrietate corpus laborat? eadem Mentis cogitationem perturbant. Ergo.

Resp dist. antec. Mens pendet a corpore, ut suas exerceat functiones, concedo: ut ab ipso cogitandi vim mutuetur, nego. Nimirum corporis structura, temperatio, morbi, aliaque hujusmodi facultatum Mentis usum & exercitium adjuvant, perturbant, atque interdum interrumpunt. Quod quidem ex ipsa Mentis Corporisque conjunctione proficiscitur. Haec enim in eo sita est, ut certis corporis motionibus determinatae respondeant Mentis cogitationes; & vicissim. Hinc est, quod si vitio aliquo laborent motiones, cogitationes ipsae sint imperfectae. Inde autem non sequitur, quod ex Corpore, ejusque structura cogitandi vim Mens hauriat: sequitur duntaxat, quod illa, ut suis utatur facultatibus, corpori subjiciatur. Id igitur argumento est, eo ex-

pe-

peditius corpore solutam Mentem cogitare, quo difficilius illius mole impedita in praesens cogitat.

Objic. II. Mens corpore soluta rebus objectis caret, in quibus cogitando versetur. Otiosa igitur non cogitabit.

Resp. neg. antec. Multa Mens habet, quae contempletur, ubi a corpore discedet. Nam 1. aliorum spirituum societas non pauca Menti suppeditabit, quae cogitatione prosequatur. 2. Seipsam intuens, ac intimum sensum excutiens, suos appetitus, ac volitiones secum Mens volutabit; & praeteritarum actionum memoriam repetet. 3. In suum Creatorem, quem intimo sensu docente agnoscit, oculos convertet. 4 Vel ipsam aspectabilem universitatem cogitatione complectetur, dummodo attentione circa illius corpora versetur.

Propos. III. *Humana Mens nunquam emorietur.*

Demonstr. Unius Dei virtute aliquid in nihilum redigi potest: Atqui plura suadent, nunquam fore, ut humanam Mentem in nihilum vertere Deus velit. Ergo.

Prob. Minor. I. Non sine ratione sufficiente Deus agit. Si manet igitur ratio sufficiens, qua ipse Mentem condidit, eam interimere velle dicendum non est. Atqui manet haec ratio sufficiens. Ergo. Deus enim Mentem condidit, ut suas in ea perfectiones manifestaret: Atqui deleta Mente hujusmodi declaratio evanesceret. Ergo.

II Deus sapiens est: sapientiae autem ratio postulat, ut proposito fine agatur. Atqui si Mens

Mens non esset perennis, nullo sibi proposito fine Deus ageret. Ergo. Sui ipsius gloriam veluti proprium finem respicit Deus: Atqui nulla in Deum gloria redundaret, si Mens ad summae veritatis cognitionem & amorem apta & destinata corporis curae duntaxat addiceretur. Ergo.

III. Deus providentissimus est: providentiae vero ordo postulat, ut singulae res ad proprium finem dirigantur. Atqui hic ordo interciderer, si Mens non esset perennis. Ergo. In praesenti rerum ordine a Deo constituto finis, cui Mens destinatur, beatitudo est in Dei fruitione sita, & nunquam desitura. Atqui sublata immortalitate hujusmodi finem Mens non assequeretur. Ergo.

IV. Deus justus est: justitiae vero ordo postulat, ut recte factis praemium, male factis poena retribuatur. Atqui hujusmodi ordo examussim non impleretur, si perennis non esset humana Mens. Ergo. In praesentis vitae statu nec virtuti merces, nec poena peccato exacte respondet. Altera igitur sequi debet vita, ut pro merito singulis poena vel praemium retribuatur. Atqui si altera est vita, perenne aevum Mens agit. Ergo.

V. Insitus cuique hominum est ab ipso Deo beatitudinis appetitus. Atqui immortalitatis votum in eo appetitu includitur. Ab ipso igitur Deo nostrae immortalitatis admonemur. Beatus enim esse, nisi perpetua felicitate nemo potest. Nam immensi boni fruitio, unde beatitudo proficiscitur, si perpes non est, amittendi boni timorem incutit. Atqui timor

fe-

felicitati adversatur. Ergo.

VI. Ejusmodi est nostrae Mentis amor, ut cum re, quam appetit, consociari velit. Stabile autem ac permanens bonum Mens appetit. Conjunctio igitur, ad quam illa tendit, firma & perpetua sit oportet. Atqui immortalitatis spe sublata, hujusmodi conjunctionem assequi nunquam Mens poterit. Ergo.

VII. Naturae ipsius vocem exprimit hominum omnium consensus. Atqui universae hominum nationes Mentis immortalis opinione tenentur. Ergo. Hujusmodi consensus eruitur 1. ex Religionis observatione & Elysiorum ac Tartari fabula. 2. ex idolorum cultu. 3. ex sepulcrorum caeremoniis.

Objic. I. In praesenti vita virtuti praemium, & poena peccato retribuitur. Ipsa enim recte facti conscientia, atque inde exoriens pacata tranquillitas, uberrimus est virtutis fructus: contra scelerum conscientia satis superque improbos discruciat. Ergo ex ordine justitiae non eruitur Mentis immortalitas.

Resp. neg. anteced. Tum praemium, tum supplicium aeternum sit oportet, ut examussim virtutis, ac peccati meritis respondeat; quemadmodum mox dicetur. Ceterum ipsa justorum tranquillitas, atque improborum angor, Mentis immortalitatem arguunt. Nam recte facti conscientia solatur justos, quia virtutis fructum exspectant. Improbi scelerum suorum stimulis torquentur, quia suppliciorum acerbitatem reformidant. Atqui id ex propriae immortalitatis opinione proficiscitur.

Dele

Dele enim ex hominum animis hanc sententiam, tum spes mercedis, tum supplicii metus evanescit.

Objic. II. Virtus ac peccatum finiti agentis physicae sunt actiones. Justitiae igitur fit satis, si praemium ac supplicium ad statutum tempus rependatur.

Resp. dist. antec. Virtus ac peccatum *quantitate* finita sunt, concedo: at *qualitate*, nego. Et sane quod 1. ad virtutes attinet, illae ejusmodi sunt, ut nonnisi perennis beatitudinis praemio donari possint. Praemium enim, nisi aeternum, supplicium potius erit, ut antea diximus. His adde, quod si justi ad statutum tempus praemio donati deinde prorsus interirent, afficerentur maxima poena, cujusmodi est annihilatio. Atqui sub Deo justo nemo miser esse potest, nisi prius mereatur. Ergo.

2. Quod vero ad peccatum attinet: qualitas & ordo injuriae ab ordine & dignitate offensi desumenda est: Atqui Deus infinito intervallo excedit hominem; peccatum igitur infinitam in se malitiam comprehendit. Poena igitur, quae malum est physicum, licet aeterna, vix respondet peccato, quod est malum morale.

Objic. III. Immortalitatis votum non est a natura insitum, sed ab ipso homine effictum. Temere igitur ex eo Mentis arguitur immortalitas. Natura quidem nobis indidit, ut & ceteris animantibus, propriae exsistentiae conservationis appetitum: ex hoc autem appetitu in ea semper perseverandi desiderium exarsit.

Sui.

Sui igitur ipsius amore ductus homo se immortalem finxit.

Resp. neg. anteced. Appetitus nobis a natura ingeneratus non est ad vitam servandam duntaxat, sed ad vitam beatam assequendam. Nimirum natura duce eo contendimus, ut non falli, non pati, non mori velimus. Tria haec ex beatitudinis desiderio veluti e suo fonte dimanant. Atqui nemo est, qui falli, qui pati, qui mori velit. A natura igitur beatitudinis appetitus proficiscitur. Beatitudo autem perennitatem secum complectitur. Ergo.

Objic. IV. Totus homo immortalem se esse desiderat. Atqui hoc desiderium relate ad corpus irritum est. Ergo etiam relate ad Mentem.

Resp. neg. consequ. Solo quidem naturae lumine deprehendere non licet, qui fiat, ut corporis vitae desiderium non expleatur. At id poenam esse depravatae naturae divinari licet; ejus enim corruptionem, infelices experimur, licet origo nobis lateat.

CAPUT III.

De Mentis Essentia.

HUmanae Mentis essentiam definire ardua res est. Omnes enim ad unam illius proprietates in numerato habere quis poterit? Physica igitur essentia incomperta erit. Hinc autem & Metaphysica essentia obscura fit; princeps enim proprietas definiri non potest, si nonnullae latent. Verum id non est desperatae

ratae sedulitatis: tentandum est, si quid saltem verisimile extundere licet.

Propos. I. *Humanae Mentis metaphysica essentia in sensu sui ipsius collocanda videtur.*

Demonstr. Plura sunt quae certa scientia, & clamante conscientia de humana Mente nobis constant. Atqui haec, quae comperta nobis sunt, metaphysicam illius essentiam in sensu sitam esse suadent. Ergo.

Certo quidem scimus Mentem nostram simplicem esse, atque immortalem. Conscii autem nobis sumus intelligendi volendique facultate eam exornari. Eadem praeterea conscientia nobis constat, eam tum seipsam, tum cetera, quaecunque in corporis sensus incurrunt, sentire. Quam propterea sentiendi facultatem in sensum *intimum* atque *extimum* distinguere licet.

Jam vero sensus intimi tria esse objecta persentiscimus. Nimirum 1. Mens seipsam exsistentem sentit, *numerice* quidem, *finite*, ac *dependenter*. Quaecunque agit ita persentiscit, ut nulla sit actio sensu destituta. 3. Quaecunque patitur in seipsa sentit: adeo quidem, ut sine sensu nulla sit passio.

Ex hoc autem sensu amor sui efflorescit. Sentit enim se conservationis, perfectionis, ac beatitudinis indigere. Id autem aptum sibi esse persentiscit: hoc igitur vehementer appetit: quo sane appetitu se vehementer diligit.

Hujusmodi autem sensus, suique amor perennis est. Nam 1. Mens sibi semper adest; sem-

semper igitur seipsam sentit. 2. Mentis exsistentia perennis est; ergo & illius sensus. 3. Nullae Mentis actiones aut passiones sensu carent: Agit autem semper Mens, aut patitur; Perenni igitur sensu afficitur.

Perennis itidem est sui ipsius amor. Nam 1. perpetuo sensu Mens admonetur, quo perveniat. Eo igitur perpetuo appetitu tendit. 2. Jucundas aut molestas affectiones Mens semper in se persentiscit. Eas igitur amore aut odio semper prosequitur. 3. Tum boni, quod deest, tum mali, quod adest, rationem in se Mens experitur; semper igitur appetit aut aversatur.

Haec autem omnia Metaphysicam Mentis essentiam aperiunt. Hoc enim nomine donatur proprietas, quae reliquas antecedit, quae ceteris substernitur, quae alias complectitur. Atqui hujusmodi sensus est. Ergo.

Nam 1. principem locum obtinet ea proprietas, qua ceterae deprehenduntur. Universas autem Mentis proprietates sensu adsequimur. Ergo.

2. Reliquis substernitur ea proprietas, quam reliquae consequuntur. Atqui prius, quam agat aut patiatur, seipsam Mens sentit. Ergo.

3. Ceteras complectitur ea proprietas, cui illae adhaerent. Atqui sive Mens intelligat, sive velit, intellectionem ac voluntatem sensus comitatur. Ergo.

Objicitur. Posita intelligentia Mens concipitur exsistens, etiamsi sensus auferatur; antiquior igitur intelligentia, quam sensus. Praeterea sive Mens sentiat, sive percipiat, si-

ve

ve quemlibet actum edat, intelligens est; intelligentia igitur reliquas complectitur proprietates: Ergo haec erit metaphysica Mentis essentia.

Resp. neg. utrumque antecedens. Nam r. nulla est intelligentia sensu destituta. Hinc nisi Mens se intelligentem sentiret, se exsistentem non agnosceret. 2. Ad sensum revocantur ceterae Mentis actiones, & vel ipsa intelligentia; Quin imo universae Mentis facultates e sensu efflorescunt: Ideae enim, unde judicia ac ratiocinia conflantur, e sensu proficiscuntur: tum universae Mentis appetitiones ex amore sui dimanant, qui e sensu accenditur, ut modo docuimus.

Propos. II. *Mens in perenni cogitatione versatur.*

In antecessum advertatur, cogitationis nomine haud hic intelligi singulares quoslibet intelligentiae actus, sed sensum sui, suique amorem.

Demonstr. I. Mens sentiens est, vivens, atque activa. Atqui 1. ut sentiens sit, perpetuo sui sensu afficiatur oportet: 2. Vivens esse nequit, nisi perenni motu *in se a se* cieatur. 3. Activa non est, nisi innato appetitu ad peculiaria bona feratur: Perenni igitur sensu, motu, atque appetitu praedita est. Ergo in perenni cogitatione versatur.

II. Quascunque corporis motiones Mens sentit. Atqui 1. perennes sunt motus corporis necessarii: 2. perpetuo tum hic tum ille corporis sensus ab objectis afficitur. Ergo nunquam non sentit Mens.

Objic.

Objic. In ſtatu infantiae, ac ſomni Mens non cogitat. Ergo non verſatur in perenni cogitatione. Si enim cogitaret, earum cogitationum reminiſceremur: atqui non reminiſcimur. Ergo.

Reſp. diſt. antec. Si cogitationis nomine accipias perceptiones, judicia, ratiocinationes &c. Mens per ſomnum ac infantiam non cogitat, concedo: ſin ſenſum, nego. Et ſane 1. Mentem, cum dorminus, ſenſu affici, licet languido plura ſuadent. Nam 1. moleſtus ſomnus eſt atque intermiſſus, cum corpus morbo aliquo laborat: contra ſuavis, cum valentes molliter cubantes dormimus. Atqui moleſtiae & ſuavitatis ſenſus ad Mentem attinet. Ergo. 2. Nonnunquam de iis ſomnium facimus, quae in corporis ſenſus incurrunt. Languide igitur hujuſmodi objecta Mens ſentit. 3. Momentum illud, quo ſomnum capimus, ab eo, quo expergiſcimur, diſtinguimus. Intervallum igitur utriuſque ſtatus Mens ſentit.

Reſp. 2. Mentem per ſomnum cogitare demonſtrant inſomnia, quibus nemo fere caret. Eorum autem non ſemper reminiſcimur; at ne eorum quidem ſemper recordamur, quae vigilantes cogitamus.

Reſp. 3 Infantes ſive in utero matris concluſi, ſive per primam infantiam, ſitis, famis, doloris &c. ſenſationes habent. Cogitatione igitur non deſtituuntur.

PROPOS. III. *Eſſentia phyſica Mentis in proprietatum, quarum ipſa ſibi conſcia eſt, collectione ſtatui poteſt.*

 Prob.

Prob. Proprietatum omnium, quae rei cuilibet insunt, collectionem dicimus essentiam physicam. Atqui nulla est in Mente proprietas, nulla facultas, cujus sibi ipsa conscia non sit. Ergo. Prob Minor: Si qua Menti inesset facultas, cujus conscia non esset, illius equidem sensu destitueretur. Atqui facultas illa Mentis propria est; sui igitur sensu ipsa careret. Id autem interiori experientiae refragatur. Ergo.

Heic autem nonnulla advertere praestat. 1. Intimus Mentis sensus interdum languidus est ac obtusus. Vividiores enim sensationes languidiores absorbent. Atqui, quae extrinsecus sentimus ut plurimum vividiora sunt iis, quae intrinsecus experimur.

2. Sensus sive conscientia attentione *directa* nunquam destituitur, at a *reflexa* quandoque sejungitur. Nimirum nisi Mens attendat, sentire nequit: at sentit, quamvis intelligentiae aciem ad id, quod sentit, non reflectat. Reflexio igitur Mentis, ut est intelligens, propria est, non vero quatenus est sentiens.

3. Quamvis sensu intimo quae sibi inhaerent Mens attingat, ea tamen ejusdem sensus ope non distinguit: Illa quidem explicat atque evolvit, cum in se ipsam reflexa intimum sensum excutit.

Objic. I. Si nihil Menti inesset, quod non sentiret, illius essentia physica comperta esset. Atqui exploratum non est, praeter ea, quae sentimus, aliud non delitescere. Ergo. Prob. Minor: Sensus sequitur experimentum: nimirum eas facultates nobis inesse sentimus, quas

quas in exercitium eductas experti sumus, ut in caecis ac surdis, qui lucis, ac soni nullas ideas habent, aperte patet. Atqui non constat, num omnes facultates in exercitium eductae sint. Ergo.

Resp dist. maj. alterius syllogismi: Sensus actuum, & objectorum sequitur experimentum concedo: sensus facultatum, nego. Nimirum lucis, soni &c. ideam non habent, neque ejusmodi actuum sibi conscii sunt, qui aurium, aut oculorum usu destituuntur. Verum videndi audiendique facultatem sibi inesse sentiunt; interclusum enim hujusmodi sensuum aditum sibi patefieri exoptant. Facultatem enim, qua ad ceteros sensus attendunt, in se experiuntur: eâdem igitur ad praepeditos sensus se attendere posse sentiunt.

Objic. II. Si universas Mentis proprietates sensu intimo adsequeremur, nihil facilius esset, quam illius naturae cognitio. Atqui hanc difficilem esse ostendunt variae Philosophorum veterum opiniones. Ergo.

Resp. Quamvis facile sit duce sensu se ipsum aperte cognoscere: non modicam tamen pariunt difficultatem superanda impedimenta, quae corporis sensus, imaginatio, & cupiditas objiciunt. Mens enim sensibus corporis devincta, & rerum corporearum imaginibus adsueta, ne se ipsam quidem, nisi sensibilem se sibi fingat, nosse potest. Eadem praeterea cupiditate abrepta ita ad res corporeas fertur, ut eas a se nequeat secernere, quo se solam inspiciat.

CAPUT IV.

De Idearum Natura & Origine.

§. I.

De Idearum natura.

CUm in idearum naturam inquiritur, illud quaeritur, num idea a perceptione distinguantur. Id autem definiri potest, si quid ideae, quid perceptionis voci subjicitur intelligatur. Hinc in utramque partem quaestio solvi poterit, prout vario sensu ideam ac perceptionem accipias.

Nam I. Ideae vocabulo intelligitur rei forma ac species Menti praesens: perceptionis autem nomine significatur Mentis attentio, qua hujusmodi imaginem sibi praesentem intuetur. Hoc quidem pacto idea a perceptione distinguitur perinde, atque actus ab ipsius termino separatur.

Verum si perceptio definiatur Mentis actio, qua rerum imagines sibi praesentes sistit: idem erit rei alicujus idea, atque ipsius perceptio. Neque enim aliquid Menti praesens esse potest, quod ipsa non percipiat; neque aliqua potest esse perceptio, quae alicujus ideae non sit perceptio.

Ceterum vel duo sint actus, vel unus idemque: binae tamen distinguendae sunt relationes, quae binis vocabulis designantur. Mentis attentio, sive repraesentatio, perceptionis vocem

cem suo jure postulat : imago , ad quam attenditur, sive quae repraesentatur , ideae vocabulum sibi adsumit.

§. II.

De Idearum Origine .

PRaecipuae de idearum origine Philosophorum sententiae in duas classes secerni possunt : in prima collocare licet Platonicos , eosque imitatos Cartesianos : alteri adcensentur Peripatetici, & qui eos secuti sunt Scholastici, tum qui horum opinionem illustravit Joannes Lockius.

Platonici quidem rerum omnium insitas & quasi consignatas in animo rerum notiones homines habere opinati sunt . Cartesiani itidem dispertiunt ideas in adventitias, factitias, atque innatas. Primas esse ajunt, quae occasione motuum, quos in sensibus externae res cient, a Deo producuntur : secundas , quae ex adquisitis a Mente efformantur: tertias , quae a Deo nobis , ubi conditi sumus, consignantur .

Peripatetici contra humanam Mentem *rasae tabulae*, ut ajunt, similem esse censent, h. e. notionibus omnibus vacuam praeter eas, quas per sensus excipit . Hinc apud ipsos docetur, *nihil esse in intellectu* , *quod prius non fuerit sub sensu* .

Qui autem secuti sunt Scholastici idearum originem explicant per suas *species impressas* , sive rerum simulacra , quae in corporis sen-

sus incurrunt. Eas deinde per imaginationem defaecari, & ab *intellectu agente* fieri *expressas*, ac *spiritualizari*; ac tum demum *intellectui patienti* repraesentari docent.

Hanc vero opinionem novo apparatu proposuit Joannes Lockius. Is enim e duplici fonte ideas proficisci docet, a *sensatione* & *Mentis Reflexione*. Nimirum cum corporis sensus ab externis rebus percelluntur, earum Menti perceptiones adferri docet. Praeterea cum Mens in seipsam reflexa actiones suas expendit, perceptionis, judicii, &c. ideas eam sibi comparare tradit.

Singularis porro est Malebranchii opinio, qui rerum omnium ideas in Deo Mentem videre docuit.

Jam porro ut idearum origo definiatur, tria discutienda sunt: 1. num cudendarum idearum vim Mens habeat: 2. num sint ideae innatae: 3. unde nam ideas Mens hauriat.

Propos. I. *Mens insita vi rerum ideas procudit.*

Prob. Universae ideae in adventitias, ac factitias distingui possunt. Atqui factitias Mentis opus esse fatentur omnes; adventitias autem itidem a Mente efformari fateri debent. Ergo.

Prob. Minoris pars altera. Qui adventitias ideas *passive* a Mente excipi tuentur, falso argumento ducuntur. Ergo. Et sane ita ipsi ratiocinantur. Ideae sunt rerum formae: Atqui ignotae rei nulla efformari potest imago: Ut igitur rerum ideas Mens efformet, easdem prius cognoscat oportet. Si autem res co-

cognoscit, earum jam ideas habet : Ergo ante quam ideas effingeret, easdem haberet; quo nihil absurdius.

Verum hujus argumentationis minor subsumta falsa est. Neque enim universae Mentis cognitio ex ideis proficiscitur; & nonnisi per ideas objecta apprehenduntur. Nimirum sensus tum intimus, tum extimus rerum notitiam Menti praebet, quarum deinde ideas ipsa sibi efformat. Quod quidem mox perspicuum fiet.

Objicitur. Ideae realem habent *entitatem*, sive sunt *quid reale*; ergo idearum efformatio creandi facultatem postulat. Atqui creandi facultas Menti non convenit. Ergo.

Resp. dist. antec. Ideae sunt quid reale, h.e. positivum, concedo; per se subsistunt, nego. Nimirum recte dicimus numeros ex. gr. figuras, qualitates sensibiles esse *quid reale*; quia haec omnia positive concipimus in rebus numero finitis; figuratis, sapidis &c. Verum haec ipsa nullam habent propriam exsistentiam sejunctam a rebus, quibus inhaerent. Ideae itidem quid positivum sunt, quippe Mentis actus sunt in ipsa Mente intimi atque immanentes; illius scilicet modificationes; quae propterea nullam habent propriam exsistentiam a Mente sejunctam. Jam vero creandi facultate opus non est, ut actum Mens producat; ut aliquam affectionem subeat: quemadmodum creandi facultatem non postulat certae configurationis in corpore productio.

Propos. II. *Ideae innatae, quo sensu a Carte-*

tesianis statuuntur, nullae dantur.

Prob. Ideas innatas non uno sensu accipiunt Cartesiani : Atqui quocunque sensu accipiantur, hujusmodi ideas dari repugnat. Ergo.

Et 1. innatam dicunt ideam, quae Menti ab ipsa sui origine praesens fuit. Atqui conscientiae refragatur, a primo ortus nostri momento praesentem ideam aliquam habuisse. Ergo.

2. Innatam appellant ideam Menti insitam, quae eidem sese ad intuendum offerat, ubi Mens attenderit. Atqui hujusmodi ideae in Mente delitescentes omnino repugnant. Ergo. Neque enim fieri potest, ut in se consignatas ideas Mens habeat, easque ignoret. Nam idea non est, nisi rei objectae imago, ad quam Mens attendit. Si igitur a prima sui origine consignatas ideas habuisset, ad easdem profecto attendisset. Atqui id conscientiae adversatur. Ergo.

3. Innatam vocant ideam, quam insita facultate nobis repraesentamus. Atqui hoc sensu non certae quaedam duntaxat, sed universae essent innatae. Ergo.

4. Innatam dicunt ideam, quam ceteris facilius universi homines habent. Atqui quamplures ideas facile & expeditae nobis comparamus. Ergo pleraeque ideae dicendae essent innatae.

Propos. III. *Universas ideas e sensu tum intimo tum extimo reflexionis opera Mens cudit.*

Ante quam demonstretur propositio, nonnulla advertere juvat. 1. Idearum cudendarum fa-

facultas Menti ex superius ostensis non est abjudicanda. 2. Ideae non sunt, nisi rerum objectarum formae, quas sibi Mens praesentes sistit. 3. Rerum imagines exprimere Mens nequit, nisi prius eas cognoscat. 4. Illud igitur, unde rerum notitiam Mens haurit, earumdem idearum originem constituit. 5. Atqui rerum omnium sensibilium per exteriores corporis sensus notitiam Mens adsequitur. 6. Illarum igitur idearum origo e sensu extimo repetatur oportet. 7. Multa autem sunt, quae in exteriores sensus non cadunt. 8. Eorum igitur cognitio exterius adquiri minime potest. 9. Horum ideas reflexionis opera sibi Mentem comparare ait Lockius. 10. Atqui reflexionem antevertit cognitio 11. Aliquid igitur reflexione simplicius quaerendum est, unde hujusmodi cognitionem Mens adsequatur. 12. Nihil autem simplicius in Mente sensu sui, quo sua omnia persentiscit. 13. Ergo intimus sensus alter fons est, unde earum rerum fluunt ideae, quae huic sensui subjiciuntur. 14. Quamobrem Mens attendens ad ea, quae tum interius, tum exterius sentit, reflexionis opera eorum ideas effingit.

His porro stabilitis demonstratur propositio. Ideae vel objecta corporea respiciunt, vel non item. Atqui illae ab exteriori, hae vero ab interiori sensu proficiscuntur. Ergo. Prob. min. pars prima. Idea effingi nequit, nisi prius res cognoscatur. Atqui res omnes corporeae per sensus exteriores a Mente cognoscuntur. Ergo. Prob. pars altera: Proprietates, actus, affectiones nostrae Mentis sensu intimo cogno-

gnoſcuntur. Ideae igitur, quae hujuſmodi objecta reſpiciunt, e ſenſu intimo hauriuntur.

Heic autem quaeritur, num praeter hujuſmodi ideas, quae e ſenſu intimo proficiſcuntur, aliae ſint, quae eamdem originem trahant. Lockius quidem eas ideas, quas Carteſiani innatas volunt, vel *immediate*, vel *mediate* ab exteriori ſenſatione ratiocinando a Mente comparari docet. Hinc 1. aeternitatis atque infinitatis ideas, ita Mentem effingere ait, ut altera ex certis temporis intervallis ſimul additis, altera ex multiplicatione extenſionis proficiſcatur.

2. Virtutis, ac vitii ideas inſtitutione atque exemplis adquiri docet.

3. Dei ideam ex propriae exſiſtentiae cognitione ratiocinando unumquemque adſequi tradit.

Verum via, quam aperit Lockius, ad hujuſmodi ideas comparandas minime ducit. Nam 1. temporis intervalla certis circumſcripta limitibus, finitae longitudines, quantumvis multiplicentur, abſolute infinitum non efficiunt. Atqui aeternitatis atque infinitatis ideae limites omnes tranſiliunt. Ergo.

2. Inhoneſta atque injuſta nonniſi ad honeſtatis normam comparata deprehendi poſſunt. Menti igitur praeſto eſſe debet naturalis regula, qua honeſta, ac turpia comparantur.

3. Idem dicendum de immortalitatis, veritatis, ac beatitudinis ideis: quas ab externa ſenſatione vel per accuratas ratiocinationes fruſtra quaeres.

Jam vero ſi interiorem ſenſum excutere co-

conamur, delitescentia ibi veluti semina deprehendemus, unde hujusmodi ideas comparamus. Et sane I. veritatis appetitum intime experimur. Nam 1. natura duce falsitatem odimus: adeo ut falli nolint etiam quicunque fallere amant. 2. Mendacia in aliis unanimi omnium consensione reprehenduntur. 3 Naturali cupiditate rerum rationes investigamus; veri igitur videndi appetitus nos tenet. 4. Veritatis adeptio oblectationem parit; veritatis igitur studio incendimur.

II. Honestatis sensum plura evincunt. Nam 1. scelerum turpitudine quisque offenditur, quamvis in eum laesura non sint. 2. Quaedam scelesta esse ac turpia nemo diffitetur, etiamsi nulla lata lege prohiberentur. 3. Ubi scelus aliquod admittitur, vehementes interius erumpunt conscientiae objurgationes. 4. Honestatis norma ratiocinationem antecedit; eam enim dirigit, atque emendat. 5 Eam effrenes ipsae cupiditates omnino obliterare non possunt; quippe propria scelera in aliis reprehenduntur; eaque, postquam cupiditatis aestus defervuit, probata prius, vituperantur.

III. Innatum beatitudinis amorem experimur; quod quidem naturae votum ratiocinationem omnem antecedit; neque enim a nostra optione pendet, ut beati esse velimus.

IV. Hujusmodi autem appetitus immutabilitatis, infinitatis, atque aeternitatis sensum complectitur. Nam neque mori, neque falli volumus: bona quaecunque singularia appetitum nostrum explere non valent: bonorum perpetuitati confidere posse expetimus.

V. Ex

V. Ex his autem ipsius Dei notionem eruere licet. Naturali quidem amore beatitudinem appetimus, quae tum bonum immutabile atque infinitum, tum aeternitatem & veritatem complectatur. Atqui naturâ expeti nequit, quod non sentitur; sentiri autem, nisi quod nos afficit, nequaquam potest; ab eo autem, quod non exsistit, affici non possumus. Quae igitur Mens expetit, alicujus Entis attributa reapse sint oportet. Ita igitur illius Entis ideam comparabimus, cui ea omnia, quae intime sentimus, accurate evoluta adscribimus.

CAPUT V.

De humanae Voluntatis Libertate.

VOluntas ea Mentis facultas est, qua bonum appetit, ac malum aversatur. De ea quaeritur, num libera sit. Eam quidem libertate spoliarunt non modo inter veteres Stoici suo fato, ac Democritici atque Epicurei motu atomorum naturali, verum etiam recentiores humanitatis hostes, qui hominum dignitatem ad brutorum conditionem redigere conantur.

Jam porro libertas vel communi vel propria sententia accipi potest. Primo sensu est voluntas libera ab omni caussa, quae extrinsecus cogat. Liberum igitur ac voluntarium sibi e regione respondent.

At libertas proprio sensu accepta est illa, quae omnem necessitatem tum internam, sive

ve naturae, tum externam five coactionis excludit: & quae *libertas electionis* vocatur.

Haec autem triplex est, *contradictionis*, *specificationis*, & *contrarietatis*. Libertas contradictionis est facultas agendi, vel non agendi: specificationis, agendi hoc vel illud, servato ordine finis: contrarietatis, agendi bonum vel malum, praetermisso ordine finis.

Lockius singularem libertatis notionem invexit. Ipse enim voluntatem definit esse facultatem, qua Mens suas determinat cogitationes, ut aliquam eliciant sive impediant actionem: libertatem vero facultatem, qua quis aliquem actum praestare, aut ab eodem abstinere potest, prout illius Mens alterutrum voluerit. Hinc voluntatem & libertatem duas esse diversas facultates docet, quae nullo nexu secum copulantur. At a communi omnium sententia ipse discedit: libertatem enim in hominis voluntate universi inspiciunt; nam & olim quaesitum fuit, & hodie quaeritur, num homo cum vult ita velit, ut nolle possit. Num autem quod homo voluit exsequi possit, alia est quaestio, quae nihil ad libertatem attinet.

PROPOS. *Humana Mens in suis volitionibus ac nolitionibus libera est.*

Prob. I. Libertatem vivido sensu experimur. Nam 1. valde inter se differre sentimus volitionem, qua beati esse, & qua quodlibet aliud volumus. Hoc autem discrimen in eo versatur, quod a primo actu abstinere non possimus, ab altero possimus. Ergo.

2. Nunquam deliberamus, num felices potius,

tius, quam non item, esse velimus: deliberamus autem, sit ne aliquid nobis agendum. Atqui deliberatio obtinet in iis, quae liberae potestati subjiciuntur. Ergo.

3. Discrimen interesse sentimus inter dolorem illum, quem admissum peccatum affert, & qui e corporis morbo proficiscitur. Differt autem primus dolor ab altero, quia illum capimus ex idea mali, quod vitari a nobis poterat. Ergo.

4. Qui venustum oris habitum praeseferunt non perinde laudantur, ac qui praeclaras res gerunt: neque eadem reprehensione digni sunt, tum qui membrorum depravatione laborant, tum qui vitiis urgentur. Atqui id ex eo proficiscitur, quod recte aut perverse uti posse libertate sentimus. Ergo.

Prob. II. Singularia quaevis objecta, in quae humana voluntas fertur, eam necessario determinare non possunt. Ergo. Nam 1. humanae voluntatis appetitus immensus est: Atqui quaevis singularia objecta finita sunt. Illum igitur explere non possunt. 2. Voluntas motivis agitur: Atqui bona quaecunque singularia ejusmodi sunt, ut & boni defectus & mali ratio in iis deprehendi possit. Ergo.

Prob. III. Universorum hominum consensio naturae vocem exprimit. Atqui nulla est natio, quae legibus careat, apud quam praemia ac supplicia, laudes & vituperationes, exhortationes ac minae non obtineant. Quae omnia libertatis persuasionem aperte praeseferunt. Ergo.

Objic. I. Sensus intimus activitatem duntaxat

xat, non libertatem arguit. Ergo. Sentimus nostram determinationem, at ignoramus caussam, quae nos determinat: eodem prorsus pacto nostram exsistentiam sentimus, cum non sentiamus actum caussae, quae praestat ut exsistamus.

Resp. neg. antec. Non modo enim me ad volendum determinatum, sed etiam me ipsum determinare plane persentisco. Quemadmodum & me ad ideas attendentem, & me ideas ipsas mihi repraesentantem sentio. Me autem exsistere sentio: at ipse mihi conscius sum haud me esse, qui me ad exsistendum determino, aut aliquid ad meam exsistentiam confero.

Objicitur II. Humana Mens aut percipit, aut judicat, aut vult. Atqui in his omnibus nulla libertas. Ergo. Et 1. Ideae nobis occurrunt, velit, nolit Mens nostra. Ergo.

Resp. neg. antec. Rerum ideas ipsa sibi Mens efformat, easque sibi praesentes sistit: ut superius ostensum est.

Opp. 2. Omnis propositio aut vera, aut falsa necessario Menti proponitur. Nulla igitur libertas in judiciis.

Resp. dist. antec. Propositio aut vera, aut falsa ita Menti proponitur, ut ipsius naturam mutare non possimus, concedo: ut illius veritati, aut falsitati necessario assentiamur, nego. Profecto per nos minime licet, ut vera, aut falsa non sit propositio. Verum plena nobis adest libertas, ut evidentibus exceptis, assensum nostrum sustineamus. Necessario autem vera, aut falsa propositio nobis minime exhibetur. Praejudicia enim, cupiditates, ob-

obtusa Mentis acies in caussa sunt, quare illius veritas, aut falsitas non deprehendatur.

Opp. III. Voluntas sequitur judicium: atqui nulla in judicio libertas. Ergo.

Resp. neg. min. Patet id ex dictis. Quia licet nulla esset in judiciis libertas, eadem voluntatem destitui non colligeretur. Plerumque enim licet bona videmus, eaque bona esse judicemus, deteriora tamen sequimur. Nam prout animo affecti sumus, ita res ipsas consideramus, ac libere in eas nos determinamus.

Urgent: Igitur perinde agimus, atque objecta ad nos referuntur. Ergo necessario se Mens determinat.

Resp. neg. conseq. Non negamus nos determinare, prout objecta nobis consentanea esse ultimo judicio exhibemus. Verum modo non quaerimus, quibusnam rationibus homo ducatur cum agit: illud quaerimus, num liber homo sit cum agit; nimirum num aliis rationibus inspectis possit non agere. Id autem ex propria conscientia aperte patet. Res enim objectae ejusmodi sunt, ut licet boni ratio in iis deprehendatur, boni tamen defectus, malique ratio inspici possit. In iis igitur amplectendis, vel respuendis libere nos determinamus.

Objicitur IV. Mens natura sua voluptatem, ac dolorem sentit. Dolor igitur, & voluptas sunt duae caussae, quae mentem necessario determinant.

Resp. dist. conseq. Si dolor, aut voluptas rationis lumen extinguunt, conc. secus nego.

Do-

Dolor enim ita considerari potest, ut boni ratio in eo inspiciatur; tum dolori vehementior dolor, aut voluptas opponi potest. Eodem pacto voluptati jucundior voluptas, aut dolor objici, atque in ea doloris ratio deprehendi potest.

CAPUT VI.

De Mentis, & Corporis Conjunctione.

DUarum substantiarum conjunctio in eo sita est, ut certam quamdam secum habeant relationem, alternis nimirum agant & patiantur. Duo autem substantiarum genera cognita habemus, spiritus nimirum & corpora. Tres igitur conjunctionis species intelligi possunt. Aut enim illa inter duos spiritus, aut inter duo corpora, aut spiritum inter & corpus initur. Quamobrem Mentis cum corpore consociatio est ea utriusque substantiae consensio, qua certis quibusdam Mentis cogitationibus certae quaedam respondent corporis motiones: & contra certos corporis motus sequuntur certae Mentis cognitiones.

Hujusmodi porro consensio ex ratione quadam proficiscitur, quod propterea conjunctionis *vinculum* licet appellare. Hoc quidem in conjunctione duorum corporum aut spirituum facile deprehenditur; mutuus enim contactus praestat, ut duo corpora alternis agant & patiantur: ac reciprocus amor alterum spiritum alteri adjungit. Verum vinculum, quod

Mentem inter & corpus societatem coit, subobscurum est.

§. I.

De Vinculo conjunctionis Mentis cum Corpore.

TRes in hanc rem feruntur Philosophorum sententiae Prima est Peripateticorum, qui *physico influxu* Mentem in corpus, atque hoc in illam agere docent. Idque probant 1. quia verum ac reale interest commercium Mentem inter & corpus. 2. quia hac statuta hypothesi facile explicantur quaecunque in homine obtinent phaenomena. Hinc colligunt Mentem totam esse in toto corpore, ac totam in qualibet ipsius parte.

Huic sententiae illud non leve potissimum opponitur, quod Mentis simplicitati plurimum officiat. Si enim illa reali ac physicae corporis actioni subjicitur, eidem resistat oportet. Quî autem quod extensum non est extenso resistit? Ejusdem igitur, ac corpus, naturae sit oportet.

Altera auctorem habet Malebranchium. Is quidem docet, quod Deus stabili lege, statim ac Mens voluerit, determinatos motus in corpore producit: contra vero ubi res externae in corporis sensus agunt, certas excitat in Mente cogitationes. Hinc Mens motuum corporis, & corpus Mentis cogitationum *occasionalis* caussa est: idcirco *caussarum occasionalium* hypothesis haec vulgo appellatur.

Plu-

Plura in hanc sententiam objici solent: ac praesertim 1. quod moralis esset atque imaginaria Mentis cum corpore conjunctio. 2. quod nulla suppeteret ratio, cur iisdem corporis motionibus aut nullae, aut non eaedem respondeant Mentis cogitationes. 3. quod nullam in suos actus Mens libertatem haberet.

Tertiam excogitarunt Leibnitius, & Wolphius. Ajunt ipsi 1. Mentem ejusmodi a Deo conditam esse, ut vi sua, licet corpori nunquam conjungeretur, perceptiones atque appetitiones omnes producat. 2. Corpus eo artificio elaboratum, ut omnes motus peragat, etiamsi Menti non copularetur. 3. Hujusmodi Mentem & corpus ita Deum conjunxisse, ut series motuum corporis ad amussim perceptionibus atque appetitionibus Mentis responderet. Hinc propterea Mentis corporisque consensionem *harmoniam praestabilitam* appellant.

Non pauca sunt, quae huic sententiae opponuntur. Et 1. quod nulla ratione adferitur series perceptionum in Mente & motuum in corpore. 2. quod haec hypothesis ducit ad idealismum. 3. quod nulla esset Menti in sui corporis motus libertas.

Jam vero recensitae hypotheses eo collimare videntur, non ut vinculum conjunctionis Mentis cum corpore, sed ut ipsius nexus caussa investigetur. In quo tamen labor omnis ad irritum cadit; quae enim ad Mentem attinent, cum sensu intimo adsequamur, ea adaequate cognoscere non datur. Itaque his

omiſſis, quid nos conſcientia doceat inſpiciamus.

PROPOS. *Vinculum, quo Mens cum corpore conſociatur, cum potiſſimum ſenſus eſt, tum etiam appetitus, quo illa ad corpus tendit.*

Demonſtr. pars prima. Vinculum conjunctionis illud eſt, quod conjunctionem conſtituit, quo conjunctio deprehenditur, quo diſſoluto conjunctio dirimitur. Atqui hujuſmodi eſt Mentis ſenſus. Ergo.

Prob. Minor quod ad ſingulas partes. I. Conjunctio in eo verſatur, ut Mentis cogitationes & corporis motus ſibi mutuo reſpondeant; adeo quidem, ut ambae ſubſtantiae a ſe mutuo pendeant. Atqui ſenſus praeſtat, ut Mens a corpore, corpus autem a Mente pendeat. Senſu igitur fit, ut Mens corpori copuletur.

Prob. min. pars prima. Cum res externae in ſenſuum organis motum cient, ad hunc Mens attendens res ipſas percipit. Atqui cum ex motibus corporis exteriores res ſenſu Mens apprehendit, a corpore ipſo pendet. Ergo.

Prob. pars altera. 1. Motus in corpore exciti apti ſunt ad ciendam cogitationem propterea, quod corpus illud Menti adhaeret. In hoc igitur a Mente pendet.

2. Quaelibet ſenſatio externa ejuſmodi eſt, ut principium & terminum complectatur. Atqui principium inter ac terminum mutua adeſt relatio. Nam & principium ſine termino eſſe nequit, ac terminus a principio ſejunctus nullus eſt. Quatenus igitur Mens ſentiens

tiens est, corpus ab illa pendet.

II. Prob. pars altera Minoris prior. syllog. Sentiendi facultas duo complectitur, quod sentit, & quod sentitur: quod sentit in homine Mens est, quod sentitur, corpus. Atqui sentiri nequit, nisi quod loco & tempore praesens est. Mens igitur ut sentiens est, corpori alicui conjuncta intelligi debet. Ergo conjunctio Mentis cum corpore posito sensu deprehenditur.

III. Prob. pars tertia: Cum partium corporis temperatio ita perturbatur, ut sensui Mentis excitando illud ineptum sit, Mens a corpore sejungitur. Ergo dissoluto sensu Conjunctio dirimitur.

Demonstr. pars altera propos. Appetitiones a natura insitae. ita comparatae sunt, ut irritae esse nequeant. Atqui natura ipsa Menti appetitum ingenuit, ut corpori conjuncta vivat. Ergo. Hoc naturale desiderium probat 1. ardens cujusque studium, ut partes corporis omnes vigeant. 2. ingens cura, ne corporis vitia appareant. 3. metus mortis atque horror. 4. doloris quantumvis gravis optio, quam vitae ademtio.

Objic. Si corpori Mens sensu conjungeretur, eo extincto conjunctio discinderetur. Atqui in exstasi, deliquio, lethargo licet sensus exspirat, Mentis tamen corporisque societas non dirimitur. Ergo.

Resp neg. min. In iis, qui animo linquuntur sensus prorsus non extinguitur, sed veluti consopitus languescit. Cujus vel id argumento est, quod vehementes rerum externa-

rum ictus, licet languide, sentiant.

§. II.

De Legibus Conjunctionis.

MEntis corporisque societas certis quibusdam legibus administratur. Hae autem praecipue sunt. 1. Tales sensationes Mens excipit, quales sunt motiones in sensuum organis excitae. Hinc remissis motionibus languidae sensationes, vehementibus vividae respondent.

2. Cujusmodi est Mentis adfectio, ejusmodi est corporis habitus, & vicissim. Hinc singulae Mentis passiones, ira, metus, amor, pudor &c. suas habent corporis motiones, quibus forinsecus manifestantur. Contra vero aegrotante corpore Mens suo quodam torpore corripitur.

3. Corporis incommoda Mentem, Mentisque labores corpus adficiunt. Hinc corporis temperationi Mens accommodatur, intelligendique facultate perinde utitur, atque expedita aut tarda est illius structura. At contra Mentis intentio severioribus studiis corporis vires defatigat.

§. III.

§. III.

De Sensationibus.

QUaelibet externa sensatio duo complectitur, Mentis attentionem, motumque in corpore excitum. Duo igitur quaeruntur, quid Menti, quidve corpori contingat, cum in nobis cietur sensatio.

Quod ad Mentem spectat, utrum ipsa, cum ad corporis motus attendit, agat, an patiatur, plane non liquet. Verisimilius videtur Mentis attentionem passionem potius complecti, quam actionem. Nam 1. sensatio non ab ipsa Mente elicitur, sed extrinsecus illi obtruditur. 2. Mens cum attendit prohibere nequit, quin ea excitetur cogitatio, quae motui corporis respondet. 3. Cogitatio, quam sensus ciet, valde discrepat ab illa, quam ipsa sua vi producit.

Quod vero ad corpus attinet, in antecessum advertenda sunt nonnulla, quae illius structuram respiciunt. Cranii cavum substantia quadam molli repletur, quae in globum anteriorem, & posteriorem dividitur: ille major *cerebrum*, hic minor *cerebellum* dicitur. Ex hisce duobus globis exoritur *medulla* quaedam *oblongata*, quae e cranio prodiens vertebrarum spinam ingressa *spinalis* appellatur.

Inde *nervi* suam arcessunt originem. Sunt autem nervi partes albicantes, teretes instar filorum, oblongae absque manifesto cavo. Novem ipsorum paria, sive *conjugationes*, ut

ajunt, e Medulla oblongata, duo & triginta e ſpinali profecta ad ſenſuum organa ceteraſque corporis partes ducuntur.

Hujuſmodi nervorum uſus eſt, ut ſint ſenſationum inſtrumentum: tremore ne, an liquido per eos fluente, diſputant Phyſiologi. Qui oſcillationem rectius repudiant, ajunt e ſanguine, quo cerebrum abundat, defaecari ac ſecerni perquam tenuiſſimum humorem, qui per nervos devehitur, quique propterea *ſucci*, vel *fluidi nervei*, vel *ſpirituum animalium* nomen habet.

Jam vero cum res externae ad organum ſenſorium appellunt, motum nervo imprimunt, qui ſucco communicatus ad cerebrum uſque diffunditur. Itaque ut ſenſatio cieatur, duo fiant oportet: tum ut fluidum nerveum ob rerum externarum appulſum motum concipiat; tum ut hujuſmodi motus ad cerebrum uſque devehatur.

§. IV.

De Mentis in Corpore ſede.

Mentis *ſedes* in corpore, ſive *commune ſenſorium*, pars illa appellatur, ad quam ſucci nervei motus omnes referuntur. Haec autem nonniſi in cerebro ſtatuenda eſt. Nam 1. nervi omnes e cerebri ſubſtantia proficiſcuntur. 2. Diſciſſa nervorum cum cerebro communione ſenſus ac motus omnis intercidit. 3. Cerebro laborante ſenſus ac motus aegreſcunt.

At

At quae potissimum pars cerebri sit, ad quam unicam & singularem succi nervei motus deferantur, non liquet. Cartesius quidem *pinealem glandulam*, alii *corpus callosum*, alii *corpora striata*, alii tandem *medullam* statuunt.

At inquies: Nobis videmur in ea corporis parte sentire, quam externae res percellunt. Ergo Mens per totum corpus diffunditur.

Resp. neg. consequ. Cum enim ope bacilli corporis alicujus duritiem, fluiditatem &c. experimur, in illius extremitate hujusmodi qualitates sentire videmur. Quis autem diceret Mentem per bacillum diffundi?

CAPUT VII.

De Imaginatione & Memoria.

IMaginatio sive phantasia illa Mentis nostrae vis dicitur, qua absentium rerum imagines, quas olim praesentes habuit, iterum sibi repraesentat. Heic autem quaeritur, qui fiat, ut hujusmodi imagines nobis obversentur; cum res ipsae nec sensuum organa, nec cerebrum afficere possint.

Plerique rem sic explicant. Succum nerveum ajunt ab externarum rerum ictibus in cerebrum impulsum, certos meatus in illius substantia aperire, vel fibras ita flectere, ut flexus illius supersint vestigia. Hinc fieri ajunt, ut si eosdem poros subeat, aut per easdem inflexas fibras fluat, vestigia olim impressa renoventur; ac propterea rerum imagines denuo suscitentur.

In

In hac porro Imaginatione Memoriam sitam esse docent. Praeteritas enim rerum ideas revocamus, cum illarum vestigia in imaginatione deleta non fuerint. Idque vel inde arguunt, quod cerebro perturbato memoria obliteretur.

Verum hujusmodi conjecturae nihil habent explorati. Nam 1. explicari nequit, cujusmodi sint signatae rerum imagines in cerebro. 2. Notionum *abstractarum* vestigia nulla fingi possunt. 3. Intelligentiam superat, quod ita in cerebro vestigia ponantur, ut nulla confusione perturbentur, neque alias ab aliis deleantur. 4. Neque intelligi potest, quemadmodum impressa haec vestigia a Mente suscitentur. 5. Memoria in hac hypothesi Mentis propria non esset; ipsa igitur nulla unquam eruditione informaretur: nec judicando ac ratiocinando aliquid colligere posset.

Igitur statuendum est, quod Mens propria vi, non e corporis societate, suarum cogitationum memoriam habeat.

ME-

METAPHYSICAE PARS III.

THEOLOGIA.

CAPUT I.

Confutatur Atheïsmus.

VEtus Philofophia quatuor nobis offert difciplinas fupremo Numini adverfas. Prima eft eorum, qui duce Democrito atque Epicuro ab atomis aeternis concurfu fortuito fimul coagmentatis praefentem rerum univerfitatem nulla moderante natura effectam effe docuerunt. Eaque propterea *corpufcularis* five *atomiftica* dici poteft.

Alteram commentus eft Anaximander, qui materiam docuit unicam rem effe, quae ab aeterno exftiterit, cetera vero omnia ipfius effe temperationes five affectiones. Hanc autem philofophandi difciplinam *hylopathicam* dixeris.

Tertia auctorem habuit Stratonem Lampfacenum, qui fingulis materiae partibus vitalem vim attribuit, cujus ope fe fingere, atque in quafcunque formas vertere illae poffunt; quamvis nec fenfum nec rationem ullam habeant. Atque ifthaec doctrina *hylozoitica* nuncupari poteft.

Quarta tandem profitetur hanc univerfitatem plaftica feu effectrice vi imbutam effe, quae licet ratione deftituta, artificiofe tamen eam

eam ordinat & componit. Hanc autem *cosmoplasticam* appellare licet.

In eo itaque conveniunt recensitae disciplinae, quod materiam ab omni aeternitate exstitisse, atque ex ea universa, sensum etiam atque intelligentiam, profecta esse statuatur. Deum igitur prorsus eliminant. Quamobrem ante quam Deum esse demonstretur, impia haec systemata convellenda sunt.

PROPOSITIO I. *Materia ab aeterno exstitisse nequit.*

Demonstrat. Quod ab aeterno est, exsistendi necessitatem complectitur, perfectissimum est, atque immutabile. Atqui hujusmodi proprietates a materia prorsus abhorrent. Ergo.

Prob. maior. Ens aeternum propriae exsistentiae rationem ab alio repetere non potest; eam igitur in se complectatur oportet; suae igitur naturae necessitate exsistit. Quod autem necessario exsistit, omnem *essendi* rationem comprehendit; propterea enim necessario exsistit, quod universam *entitatem* continet. Idem praeterea nullam in se mutationem admittit; successio enim in aeternitate locum non habet: successio autem non est, nisi series vicissitudinum, quibus ens subjicitur; ens igitur aeternum est immutabile.

Prob. minor quod ad singulas partes. 1. Ens necessarium ejusmodi est, ut concipi nequeat, nisi reapse exsistens intelligatur. Atqui materiam plane concipimus, quamvis exsistentiam ab ea sejungamus. Ergo.

2. Materia, qualem ipsi Athei admittunt, stupida est, sensu atque intelligentia destituta.

Ca-

Caret igitur hujusmodi *essendi* proprietatibus. Ergo imperfecta.

3. Materiam ab omni aeternitate in mille formas sese vertisse Athei comminiscuntur. Nihil igitur ea mutabilius.

PROPOSITIO II. *Motus non est Materiae essentialis*.

Demonstr. 1. Universa corpora aeque motui ac quieti resistere observamus. Atqui haec resistendi vis ab inertia materiae proficiscitur, qua nimirum illa suum statum servat omni vi actuosa nudata. Ergo.

2. Si motus esset materiae essentialis, illius partes semper moverentur. Si semper autem moverentur, nunquam secum cohaerere possent. Nullum igitur corpus conflarent. Ex materiae igitur partibus perenni motu percitis praesens mundus oriri nunquam potuisset, quod contendunt Athei.

3. Ut corpus moveatur, non modo concipiat motum necesse est, verum oportet etiam, ut aliquo dirigatur. Atqui nulla hujus directionis ratio in materia continetur. Ea igitur, quae quoquoversus moveri apta esset, omnino quiesceret.

At enim inquit Epicurus: Motus atomis naturalis motus est gravitatis; suo igitur pondere deorsum feruntur. Adest igitur motus directio,

Verum 1. principium petit Epicurus. Id enim quaeritur, cur adsit in atomis hujusmodi motus directio, nimirum cur illae deorsum ferantur; id a gravitate proficisci docet Epicurus, Atqui gravitas non est, nisi nisus de-

descendendi: illae igitur propterea descendunt, quia descendunt.

2. Atomos in infinito spatio moveri statuitur ab Epicuro. Atqui nullus inferior ac superior locus ibi esse potest. Ergo.

3. Gravitas non est, nisi peculiaris quidam motus, quo corpora telluris ad tellurem, ceteraque corpora ad ceteros Planetas tendunt. Atqui motus materiae non est essentialis; neque igitur gravitas.

Propositio III. *Quamvis Materia ab aeterno praedita motu fuerit, ex ea tamen Mundus prodire non potuit.*

Demonstr. Ut atomi secum cohaerentes corpus aliquod constituant, mutua attractione agitentur oportet. Atqui posita in atomis attractione, praesens rerum universitas ab iis effici non potest. Ergo. Vel enim numero finitas atomos in finito spatio moveri, vel per interminatum inane infinitas atomos volitare dixeris. Atqui in utraque hypothesi atomi ineptae sunt ad mundum hunc efficiendum. Ergo.

Prob. minor. Atomi numero terminatae in finito spatio mutua attractione ita aguntur, ut aliae aliis adhaerentes unicam massam eamque sphaeroidicam constituant. Nullus igitur Mundus varietate corporum ornatus prodiret.

Sin altera admittatur hypothesis, nunquam plane definiri poterit, quidnam atomi efficiant. At esto, effecerint corpora, quibus haec continetur universitas. Planetarum tamen praesens systema enasci nunquam potuit. Ergo.

Prob. Minor. Planetarum conversio circa com-

commune solis centrum ejusmodi est, ut motus sit compositus ex viribus attrahente atque impellente apte dispertitis. Ut igitur Planetarum motus exsistant, tum attractio, tum proportionata impulsionis quantitas simul componantur oportet. Atqui impulsionis motus undenam oriri potuerit, ne divinari quidem licet Atheis. Ergo.

Propositio IV. *Materiae repugnat Hylozoitarum vita: neque ex ea sensus atque intelligentia oriri potest.*

Prob. pars prima. Vita, quam materiae Hylozoitae adscribunt, interior vis est, qua se ipsa movet ac fingit. Atqui vis isthaec materiae repugnat. Ergo. Nam 1. Materia iners est: cum inertia autem componi nequit activitas, ac motus interior ac proprius. Ergo. 2. Motus a se in se actus est intimus atque immanens. Atqui partes materiae in alias, non autem in se ipsas agere possunt. Ergo.

Pars altera abunde patet ex iis, quae alibi dicta sunt de cogitationis, ac proprietatum materiae repugnantia.

Propositio V. *Deum esse tum ratio, tum universi fabricatio, tum natura ipsa apertissime suadet.*

Prob. pars prima. I. Aliquid ab aeterno exstitisse oportet: quod ab aeterno est, necessario exsistit: quod necessario exsistit, *essendi* plenitudinem complectitur, infinitum nimirum est ac perfectissimum. Atqui hujusmodi ens Deum appellamus. Ergo.

II. Aliquid in praesens exsistit: atqui nihil est sine ratione sufficiente; aliquid igitur ab aeter-

aeterno fuit, unde illud prodierit. Atqui quod ceteris initium dedit, universas *essendi* rationes complectatur oportet. Ergo.

III. Aut ens necessarium atque aeternum, aut contingentium infinita series statuatur oportet. Alterum autem repugnat. Ergo.

Prob. minor. 1. Entia, unde series isthaec constituitur, singula sunt contingentia; nullam igitur in se continent propriae exsistentiae rationem. Ergo & ea destituitur ipsa series. Atqui repugnat esse aliquid sine ratione sufficiente. Ergo.

2. Series contingentium repugnat, si finita admittatur. Ergo infinita magis magisque repugnat; quippe in infinitum crescit indigentia entium, unde illa coalescit.

3. Entia, quae seriem constituunt, ita sunt, ut illorum nonnulla praeterierint, aliaque deinceps futura sint. Prioris igitur ac posterioris intervallis series ipsa subjicitur. Id autem repugnat infinitati. Ergo.

Prob. pars altera. I. Praesens rerum universitas pluribus partibus inter se apte connexis componitur. Atqui plurimarum partium ordo ac proportio intelligentem caussam postulat. Exsistit igitur sapientissimum Ens, cui originem suam acceptam refert hic Mundus. Prob. minor. Licet aeternas atomos multifariam coagmentatas mundana corpora effecisse dixeris: ipsarum tamen ordinata complexio sine intelligenti caussa effici nequaquam potuit; ordo enim ac symmetria infinitis de caussis excidere potest; adsit igitur oportet intelligens caussa, quae ordinem constituat, & constitutum tueatur.

II.

II. Quae ad propositum finem diriguntur, effectus sunt caussae intelligentis. Atqui singulae hujus universi res ad certum finem destinantur. Ergo. Majoris veritas aperta est; finis enim a caussa duntaxat intelligente intendi potest. Minorem satis probat ipsius universi contemplatio; quippe nihil in eo est, quod suum usum non habeat, & ad communem finem non dirigatur.

III. Mundana corpora diversis viribus agitata in perenni conflictu versantur; paullatim igitur viribus imminutis ipsorum complexio dissolveretur. Adsit igitur oportet supremae caussae efficacia, unde consistat.

IV. Mundi hujus machina diversis modis disponi poterat. Sed quod hoc vel illo pacto esse potest, sine ratione sufficiente esse nequit. Ergo.

Prob. pars tertia. I. Gentium omnium consensus ipsius naturae vox est. Atqui barbarae ipsae nationes licet obscura & confusa notitia summi Numinis non caruerunt. Ergo.

II. Humanum genus esse aliquando coepit; historia enim populorum originem, regnorum exordia, artium & scientiarum inventionem aperte tradit. Quod autem esse coepit, efficientem caussam postulat. Ergo.

Objic. I. Ex nihilo nihil fieri potest. Ergo materia ab aeterno exstitisse oportet.

Resp. dist. antec. nihil fieri potest, quod aut eminenter, aut formaliter in aliquo non contineatur, concedo: nihil fieri potest sine praeexsistente subjecto, nego. Et sane verum est, illud, quod antea non fuit, esse non pos-

 se,

se, nisi adsit caussa, quae illud efficere valeat. Haec autem caussa vel ejusmodi efficaciam habet, quae effectui aequivalet, vel effectum ipsum reapse in se complectitur. Cum autem caussa effectui aequivalet, licet nullum praeexsistat subjectum, unde ille educatur, effectus non ex nihilo, sed ab efficienti caussa proficiscitur. Materia igitur, quae antea non erat, esse potuit; quippe quae ab infinita Dei virtute condita est. Illud itaque axioma materiae aeternitatem non tribuit.

Objic. II. Ex praesenti universo Deum esse colligeretur, si secluso Deo illud esse non posset. Atqui ostendi nequit, fieri non posse, ut ab atomis aeternis mundus prodierit. Ergo. Prob. minor: Atomorum complexiones infinitae sunt: ergo inter eas versatur illa complexio, quae praesentem mundum constituit. Potuit igitur ea prosilire: si potuit, non repugnat eam prosiluisse. Ergo.

Resp. neg. consequ. Licet aeternas atomos demus, earum tamen copulationes mundum effecisse jure negamus. Infinitae enim atomorum copulationes non omnes ordinatae sunt: sed ea duntaxat, quae praesentis mundi systema constituit. Ergo numerus coagmentationum inordinatarum excedit ordinatarum numerum perinde, atque infinitum superat unitatem. Sed cum infinitum pugnat cum unitate, fieri nequit, ut infinito unitas praevaleat. Ergo.

At inquies: Non solum inordinatae copulationes sunt infinitae, verum etiam infinitae sunt ordinatae. Ergo infinitae cum infinitis pu-

pugnant. Ex infinitis igitur inordinatis una inter infinitas ordinatas profilire poteſt.

Reſp. neg. conſequ. Quaelibet enim ex infinitis ordinatis pugnat cum infinitis inordinatis. Quodlibet enim ordinatum ſyſtema infinitas inordinatas copulationes contrarias habet Veluti uni triangulo aequilatero infinita ſcalenorum multitudo opponitur, uni quadrato infinitus trapetiorum numerus, & ſic deinceps. Ergo.

Objic. III. Gentium conſenſus Deum eſſe probaret, ſi hanc ſententiam a natura homines hauſiſſent. Atqui Dei opinio ex regum calliditate, & naturae virium ignoratione profecta eſt. Ergo.

Reſp. neg. minor. Nam quod ad primum attinet: quod reges Religione uſi ſint ad imperium ſtabiliendum; non recte inde efficitur, eam eſſe illorum figmentum. Neque enim aliorum animos ſibi conciliat, qui novas in eas opiniones inducit; ſed qui inveteratis illorum opinionibus ſe adcommodat. Praeterea ſi Dei opinio politicum eſſet figmentum, barbarae gentes ea caruiſſent. Atqui hoc falſum eſſe ſuadet hiſtoria. Ergo.

Quod vero ad alterum ſpectat: quo diligentius in rerum naturam homines inquirunt, eo firmiori ſententia Deum eſſe ſibi perſuadent. Ignorantiae igitur effectus eſſe nequit Dei exſiſtentis opinio.

CAPUT II.

Confututatur Pantheismus.

PAntheismus is est, quo docetur totam rerum universitatem Deum esse. Hoc quidem impium dogma a nonnullis inter veteres Philosophos traditum illustravit, novoque apparatu proposuit Benedictus Spinoza. Is enim probare conatus est 1. unicam duntaxat substantiam in universo obtinere, 2. eam ex immensa cogitatione atque extensione veluti duobus attributis conflari, 3. hanc substantiam Deum esse, 4. quaslibet particulares substantias Dei ipsius esse modificationes.

PROPOSITIO. *Spinozae systema ambiguae substantiae notioni innixum claudicat, pugnantia secum componit, & pluribus absurdis scatet.*

Demonstr. pars prima. Spinoza substantiam definit *id quod in se exsistit, quod per seipsum concipitur.* Atqui nihil hac definitione magis ambiguum. Ergo. Prob. minor: In seipso exsistere, per se ipsum concipi dici potest, quod ita exsistit, ut suae exsistentiae rationem in se complectatur, quod ut exsistat, alio ente non indiget. Praeterea & illud in se ipso exsistere ac per seipsum concipi recte dicitur, quod seorsum ab aliis exsistit, quod alio non indiget, cui inhaerendo exsistat. Atqui si primo sensu vox substantiae accipiatur, substantia non nisi Deus erit: at si altero sensu sumatur, totidem sunt substantiae, quot in uni-

ver-

verso res ab aliis separatae exsistunt. Igitur explicata definitionis ambiguitate corruit unius substantiae systema.

Demonstr. pars altera. Universalis Spinozae substantia cogitatione atque extensione conflatur. Atqui repugnat, ut eadem substantia proprietates secum pugnantes complectatur. Ergo.

Demonstr. pars tertia. Divinitatis proprietates in Spinozistico systemate omnino subvertuntur. Ergo.

Prob. antec. 1. Deus simplicissimus est: atqui Spinozae Deus partes admittit. Quas enim ipse *modificationes* appellat, hae partes sunt, unde universum veluti totum quoddam constituitur.

2. Deus immutabilis est: atqui cogitationis atque extensionis, unde Spinozistici Dei essentia constituitur, perennes sunt vicissitudines. Ergo.

3. Tandem Spinozae Deus ob varias, quas complectitur modificationes, beatus est ac miser, sapiens ac stultus, honestus ac flagitiosus, dives ac pauper. Nihil autem hoc absurdius. Ergo.

Objic. I. Una substantia aliam producere nequit. Ergo unica exsistit substantia. Prob. antec. Si posset, vel ejusdem, vel diversi attributi substantiam gigneret: non ejusdem; esset enim una eademque: non diversi; cum nemo det, quod non habet. Ergo.

Resp. dist. propos. ejusdem *numero*, concedo; ejusdem *specie*, nego. Identitas enim vel *numero*, vel *specie* est, ut patet ex Ontologicis: atque ex Logica liquet duas pluresve sub-

 stan-

ſtantias in eiuſdem proprietatis genere vel ſpecie poſſe ſecum convenire.

Objic. II. Deus eſt infinitus: ſed ens infinitum realitatem omnem abſorbet. Cogitatio igitur atque extenſio, undeuniverſum hoc conflatur, in Deo continetur.

Reſp. diſt. min. realitatem omnem complectitur Deus *eminenter*, concedo; *formaliter*, nego. Nimirum Dei eſſentia rebus omnibus aequivalet, earumque entitatem ab omni vitio vacuam in ſe complectitur.

CAPUT III.

Confutatur Polytheiſmus.

MOrum depravatio, Poëtarum fabulae, populorum ſuperſtitio id ſenſim effecit, ut unius ſummi Numinis opinione adulterata plurium Deorum cultus apud Gentiles invaluerit. Hiſce adjungendi ſunt, qui duos Deos, alterum bonorum omnium, alterum malorum opificem coluerunt.

PROPOSITIO. *Deus unus eſt.*

Prob. I. Deus eſt ens neceſſarium: atqui unum omnino ens neceſſarium. Ergo. Prob. minor. Entium contingentium exſiſtentia multiplex eſt, quia ab efficienti cauſſa determinatos *eſſendi* gradus illa habent. Atqui ens neceſſarium exſiſtendi rationem in ſe complectitur. Ergo exſiſtendi neceſſitas multipex eſſe nequit.

II. Deus eſt perfectiſſimus: ens autem perfectiſſimum unum eſt. Ergo. Prob. minor. Ens

Ens perfectissimum omnem *essendi* plenitudinem in se complectitur : sed universa entitas nonnisi in uno contineri potest. Ergo.

III. Si plures essent Dii, inter se differrent: alii nimirum haberent, quo alii destituerentur; nullus igitur eorum esset perfectissimus; neque igitur Deus esset.

IV. Divinae naturae finitum repugnat; si plures igitur Dii sunt, infiniti sint oportet. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

V. Naturae vox unum Deum praedicat; quippe unum Deum invocant homines, atque unum supremum a ceteris minoribus Diis distinctum ipsi Ethnici coluerunt. Ergo.

VI. Duos Deos alterum natura bonum, alterum malum esse omnino repugnat. Nam, 1. uterque fortis, & uterque imbecillis esset; quo nihil absurdius: 2. Malum non est natura aut substantia, sed naturae depravatio. Repugnat igitur, ut sit Deus natura malus.

CAPUT IV.

De Divinis Attributis.

DEi proprietates aliae sunt *physicae*, aliae *morales*. Illae divinitatem sequuntur; hae Deo ut supremae caussae conveniunt.

§. I.

De Dei Simplicitate.

Simplex quatuor modis intelligitur, ut in Ontologia diximus. Quovis pacto simplicitas consideretur, Deo convenit.

Propositio I. *Deus non est corporeus: Physicae nimirum ac Mathematicae compositionis expers est.*

Prob. I. Pars natura sua prior est eo, quod partibus componitur. Atqui nihil Deo antiquius. Ergo.

II. Quod composito partes adferunt perfectius est quam compositum ipsum; ipsius enim essentia sine earum partium conjunctione nulla esset. Atqui nihil Deo perfectius. Ergo.

Propos. II. *Deo repugnat compositio ex essentia & exsistentia.*

Prob. Ens componi ab essentia & exsistentia concipitur, cum illud a potentia ad actum transire intelligitur. Atqui Deus ut ens a se necessario exsistit. Ergo.

Propos. III. *Deo repugnat compositio ex genere & differentia.*

Prob. I. Ex genere & differentia componi nequit, quod nulli entis generi subjicitur. Atqui Deus universam *essendi* rationem exhaurit. Ergo.

II. Genus praesefert ideam entis, quod licet indeterminatum est, contrahi tamen & circumscribi potest. Ergo genus est ens finitum. Atqui repugnat, ut sub finito ente veluti

uti species Deus contineatur. Ergo.

III. Ens univoce praedicari nequit de Deo & creaturis. Ergo.

§. II.

De Dei Immutabilitate.

IMmutabilem Deum dicimus, quia cum necessitate naturae exsistat, neque sui natura, neque exterioris caussae viribus, essentiae suae mutationem subire potest.

PROPOS. *Deus est immutabilis.*

Prob. Quod mutationi subjicitur, vel est, vel fuit compositum: est quidem, si quid adquirat, quo antea carebat; fuit vero, si quid ipsi eripiatur. Atqui Deus simplicissimus est. Ergo.

Objic. Mutatur qui opus aliquod, quod agere potest, faciendum aggreditur. Atqui Deus, qui mundum creare poterat, illum deinde condidit. Ergo.

Resp. neg. conf. Tria in mundi creatione sunt distinguenda: creandi voluntas, creandi actio, & opus ipsum creatum: priora ab omni aeternitate in Deo fuerunt: posterius, cum antea non erat, esse incepit. Mutatio igitur non in Deo, sed in rebus conditis versatur.

§. III.

De Infinitate & Immensitate Dei.

DEi infinitas sita est in absolutissima perfectionum omnium complexione: nimirum nec ulla virtus a Deo abest, nec cuique virtuti accessio fieri potest: *extensive* atque *intensive* perfectus est. Immensitas vero est infinita Dei virtus, qua ipse substantia sua praesens est rebus omnibus.

Propos. I. *Deus habet infinitam essentiam.*

Prob. Deus naturae suae necessitate exsistit. Atqui omnem essendi plenitudinem complectitur quod necessario exsistit; ideo enim exigit esse, quia habet omne esse. Ergo.

Propos. II. *Deus est perfectissimus.*

Prob. Deus ex ostensis infinitus est secundum essentiam. Ergo quidquid esse potest, quidquid rationem entis habere potest in se complectitur. Ergo.

Propos. III. *Deus ubique substantia praesens est.*

Prob. Deus ubique res perenni effectione producit, conservat, ac movet. Atqui ubi Deus agens, ibi Deus substantia praesens. Ergo.

§. IV.

De Dei Scientia.

IN Deo vitii omnis pura scientia reperitur. Ipse enim omnia in se cognoscit; neque ratiocinationis aut praecisionis ope, sed simplicissimo intuitu universa comprehendit; ac tan-

tandem nullis finibus ipſius ſcientia continetur.

Divinae porro ſcientiae primarium objectum eſt Deus ipſe; infinite enim intelligenti infinite intelligibile ſuo jure reſpondet.

Secundi autem ordinis objecta ſunt, 1. poſſibilia: Deus enim ſuam eſſentiam cognoſcit; ea igitur omnia ipſe novit, quibus *eſſendi* rationem impertiri poteſt.

2. Quaecunque facta exſiſtunt; opifici enim ea ignota eſſe nequeunt.

3. Impoſſibilia omnia, eaque ex obliquo a Deo cognoſcuntur; rationes enim entitatis perſpectas ipſe habet; ea igitur, quibus illa adverſatur, indirecte novit. Qua quidem ratione peccata etiam cognoſcit, nimirum per ea, quibus oppoſita ſunt.

4. Futura omnia non modo neceſſaria, verum etiam contingentia. Deus enim cauſſarum omnium colligationem comprehendit; quae igitur a cauſſis producuntur ipſi non latent.

Objic. I. Quae Deus fore praeſcivit, ea neceſſario eventura ſunt. Atqui quod neceſſario futurum eſt, contingens ac liberum eſſe nequit. Aut igitur nulla ſunt contingentia libera, aut nulla futurorum contingentium praeſenſio.

Reſp. diſt. major. eventura ſunt neceſſitate antecedenti, nego; conſequenti, concedo. Quae enim Deus futura eſſe praeſcivit, eventura ſunt propterea, quod ipſe fore praeſcivit, ut ea a cauſſa libere ſe determinante producerentur.

Objic.

Objic. II. Futura contingentia aeque esse ac non esse possunt. Quae autem definitam veritatem non habent, certo praesciri nequeunt. Ergo nulla est contingentium praescientia.

Resp. dist. min. non habent determinatum veritatem, si praesens tempus inspicias, concedo; si tempus, quo futura sunt, nego. Deus autem ab aeterno universa, prout sunt, videt: ea igitur, quae variis temporis intervallis futura sunt, certo novit.

§. V.

De Creatione.

Creationis nomine intelligitur actio, qua fit, ut, id, quod antea non fuit, esse incipiat: eam propterea *productionem ex nihilo sui & subjecti* vulgo definiunt.

Creationis idea revelationi divinae debetur: at eam ratio illius lumine illustrata etiam extundit.

Propos. *Mundum ex nihilo Deus produxit.*

Demonstr. I. Materia ex ostensis ab aeterno esse nequit; est igitur condita; ergo ex nihilo.

II. Materia esse incepit. Quod autem esse incipit, ab aliquo ente exsistentiam accipiat oportet. Materia igitur, quae non erat, auctorem Deum habet.

III. Ens infinitum universam *essendi* plenitudinem complectitur. Quidquid igitur entis rationem habet vel habere potest, in eo comprehenditur. Prius igitur, quam aliquid hujus universi esset, in Deo id continebatur. Mundus igitur e nihilo a Deo eductus est.

IV.

IV. Duo sunt in universo naturarum genera, spiritus nimirum & corpora. Atqui 1. Spiritus e nihilo educti sint oportet; nullum enim praeexsistens esse potest subjectum, unde illi educantur. 2. Quo magis spiritus corporibus praestant, eo illorum quam horum difficilior videri debet productio. Atqui ex nihilo spiritus educti sunt; ergo & corpora.

Objic. I. E nihilo nihil fieri posse evidenter patet. Creatio igitur evidentiae adversatur.

Resp. dist. antec. Nihil sine caussa efficiente esse nequit, concedo; sine causa materiali, nego. Nimirum efficientissimam caussam, quae effectui aequivalet, cujusmodi Deus est, admittimus, cum e nihilo mundum prodiisse dicimus.

Objic. II. Res, quae creatur, aut esse incipit, cum non erat, aut cum erat. Primum esse nequit; exsisteret enim prius, quam esset. Neque alterum admittere licet, exsisteret enim, cum jam esset. Ergo creationis idea pugnantia complectitur.

Resp. neg. propos. disjunct. Res enim quae creatur, cum non est, esse incipit; a statu nimirum potentiae transit ad actum. Hinc duo in creatione momenta sunt distinguenda, alterum *negativum*, *positivum* alterum rei, quae creatur.

§. VI.

De Providentia.

FUturorum praesensionem, & rerum administrationem, qua ad suos fines illae dirigun-

riguntur, Providentiam appellamus. Hanc & Gentiles quidam Philosophi, & nuperi Deistae Deo abjudicarunt. Deistarum porro vocabulum iis potiori sensu hodie tribui solet, qui Revelationem penitus rejiciunt. Duo igitur breviter ostendenda sunt, tum Deum providum esse, tum revelata Religione homines indigere.

Propos. I. *Deus providentia sua res a se creatas gubernat.*

Prob. I. Deus est summe bonus; malus igitur atque invidus esse nequit; natura igitur sua prodest aliis ac prospicit.

II. Deus est ubique immensitate sua: atqui ubique agit; ubique igitur providet.

III. Rerum universitas ejusmodi est, ut singulae ad suum finem aptae sint atque ordinatae. Atqui id intelligentem caussam postulat, quae ordinem constituerit, eumque moderetur. Ergo.

IV. Contrariae vires, quibus caelestia corpora agitantur, motus aequabilitatem sensim perturbarent. Ergo adsit oportet caussa, quae vires ipsas temperet.

V. Naturae ipsius vox Deum providum praedicat; ubique enim preces, vota, postulationes, gratiarum actiones ad Deum obtinent.

Objic. I. Ubi vitiositas, imperfectio, atque inordinatio est, ibi nulla provida caussa. Atqui non uno vitio mundi machina laborat. Ergo.

Resp. neg. min. Quae enim vitia Athei in universo deprehendere sibi videntur, ea ex partibus singillatim sumtis desumuntur. Atqui partes a toto avulsae non nisi imperfe-

ctae

ctae sunt; ad totum enim, quod constituunt, referuntur. Quae igitur imperfecta videntur, ratione totius universi perfecta sunt.

Objic. II. Summa in hominibus obtinet inaequalitas; bonis enim pessima multa, & malis prospera obveniunt. Hominibus igitur Deus non providet.

Resp. neg. consequ. Licet nonnunquam peccato poena aut virtuti praemium non respondeat; id tamen non arguit humanis rebus Deum non providere. Praesentem enim vitam altera sequetur, in qua justitiae legibus fiet satis.

Objic. III. Si Deus esset providus, nullis malis humanum genus affligeretur. Atqui ingens malorum copia illud opprimit. Ergo.

Resp.neg. major. Tria malorum genera distinguenda sunt; *metaphysicum*, defectio nimirum a summa perfectione; *physicum*, animi scilicet corporisque dolor; *morale*, h.e. culpa ac peccatum. Haec inter se ita complicata sunt, ut cum metaphysicum ab homine disjungi nequeat, possibile sit tum morale tum physicum. Nimirum 1. homo summe perfectus esse nequit, quia e nihilo conditus. Quod homo igitur malo metaphysico obnoxius sit, id Dei bonitati non adversatur. 2. Homo quippe e nihilo conditus mutabilis est: liber idem praeterea est: ac libertate spoliari non poterat, ut qui legi subjiciendus erat. Igitur a jure desciscere potest, h. e. peccatum admittere. Ergo malum morale ex defectibili hominis natura proficiscitur; ac propterea cum Dei providentia non pugnat. 3. Hinc sequi-

quitur malum physicum ab ipso homine proficisci; poena enim peccati comes est.

Propos. II. *Revelata Religione homines indigebant*.

Demonstr I. Non pauca officia Deo, nobis ipsis, aliisque nos debere naturae lege admonemur. Atqui ea omnia solo naturae lumine nec plane cognosci, nec praestari possunt. Ergo. Probatur minor. Ratio tenebris circumfusa, nisi superno lumine illustretur, omnia juris naturalis officia assequi nequit. Atqui multa exsistunt, unde illa obnubilatur. Ergo. Incuria enim ac negligentia, perversa institutio, animi cum corporis sensibus conjunctio, cupiditatum ardor, aliaque hujusmodi ita rationem obscurant, pervertunt, ac depravant, ut caelesti lumine ac medicina opus sit.

II. Nostri animi depravationem licet inviti experimur. Atqui illius originem naturae lumine non assequimur. Neque igitur medicina huic corruptelae paranda praesto nobis esse potest.

III. A Dei amicitia ob peccatum homines excidunt; Igitur ut Deo ipsi concilientur, aliquis sequester intercedat oportet. Id autem naturae lumini impervium est. Ergo.

IV. Religio potissimum postulat, ut debitus Deo praestetur cultus. Atqui solo naturae lumine hujusmodi cultus plane deprehendi nequit. Ergo.

FINIS.





